G G
a
16

G.D.26

L
C.25

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark
SIMONI, F., and OLANDUS,
P.A.

66095/C

19

RESPONSIO
FRANCISCI SIMONI
ET
PETRI ÆGIDII OLANDI

Ad Epiſtolam

HORATII de FLORIANIS

ADVERSÙS

SBARALEAM

In duas Epiſtolas diviſa.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

BONONIÆ, MDCCXVIII.

Ex Typographia Roſſi, & Sociorum ad Vexillum Roſæ.

Superiorum auctoritate.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30408209

TYPOGRAPHUS

LECTORI BENEVOLO.

UT inſtructior accedas ad has duas Epiſtolas, quibus ignoti Horatii de Florianis reſpondetur Epiſtolæ, ubi ſibi perſuaſit plus centum & quinquaginta errores oſtendere in Joannis Hieronymi Sbaraleæ Libro, cui Titulus Oculorum & Mentis Vigilię; *opportunum duxi paucis commemorare, quæ primò prodiere, & quæ poſt hinc inde emanarunt ſcripta hanc Controverſiam ſpectantia. Non enim origo Diſputationis ità recens eſt, quin commemoratione egeat; licèt diſputatio ipſa vulgatiſſima ſit, ut acta inter celeberrimos Viros Marcellum Malpighium, & Joannem Hieronymum Sbaraleam, quorum uterque Bononienſis, & uterque nunc vitâ functus. Certum eſt majori fama donari Malpighium pro ſuorum, quibus ſuperius ſeculum*

tam cupidè indulſit, circà Inſectorum, & Plantarum Anatomen ſtudiorum ratione, & pro ſuo, quod cum inſignioribus Europæ Academiis diligentiſſimè coluit, literarum commercio. Non minori tamen loco, etſi longiſſimè abeſſet a cupiditate conſtituendæ, & conſervandæ per literas amicitiæ cum Exteris, habendus eſt Sbaralea pro illa, quam ex aſſidua antiquorum, & recentiorum Authorum lectione hauſit, eruditione, & pro illa, quæ multa præſtitit in Praxi medica. Hic anno 1687. *Controverſiam medicam (ideòque literariam tantùm) movit Diſſertatione quadam ſua:* De recentiorum Medicorum ſtudio, *qua probare contendit* ſubtiliorem Anatomen, Dendranatomen, & Anatomen comparatam aut parum, aut nihil ſolidiori Medicinę practicę inſervire: *cui Diſſertationi, quam iterum publici Juris fecit Bononiæ anno* 1701., *alia quædam ſua Opuſcula appoſuit. Eo temporis ſpacio, quod primam illam inter, & poſtremam hanc editionem interceſſit, memoratæ Diſsertationi Malpighius reſponſum fecerat: Quod cum cæteris ejus Operibus Poſthumis primùm Londini impreſſum fuit anno* 1697. *Credidit magnus ille Vir, utpotè in ſtudiis, quæ Sbaralea oppugnaverat, & reprehenderat, omnibus aliis, qui eadem ſtudia tunc colebant, exercitatior, ſe unum in illa Diſsertatione oppugnatum, & reprehenſum. Reſponſum hoc confutavit Sbaralea Libro inſcripto:* Oculorum & Mentis Vigiliæ, *quem vulgavit anno* 1704., *in*

eoque novis, & validioribus rationibus opinionem ſuam confirmavit, & illis, quibus Malpighius propugnaverat ſuam, multa repoſuit. Tunc, nempe anno 1705. *duo ignoti Juvenes audacter emiſerunt Librum, cui titulus:* Horatii de Florianis Epiſtola, qua plus centum, & quinquaginta errores oſtenduntur in Libro: Oculorum & Mentis Vigiliç. Huic præfixa eſt quaſi vice Præfationis altera Epiſtola, in illud idem Argumentum a Luca Terranova &c. *Diſtat autem, & multùm diſtat, ab argumento Horatii, Terranovæ argumentum; traducens enim iſte e literaria diſputatione ad Mores verba, & pravæ voluntatis Sbaraleam inſimulans, auſus eſt illi, non tam Provocantis Critici nomen dare, quàm Injurioſi Provocantis notam inurere. Epiſtolam hanc, aut, ſi mavis, partem hanc citati Libri, Scriptor quidam clari certè nominis, ſed qui contra volentem ſuum nomen occulere, proprium renuit prodere, propulſavit compendioſo Tractatu edito anno* 1706. de Moralibus Criticæ Regulis, *quas omnes oſtendit a Sbaralea adamuſſim fuiſſe ſervatas. Et quoniam circulari Folio aliqua huic Tractatui objecit* Theophilus Alethinus (*quo ſub nomine latuiſſe dicitur præſtantiſſimus Gulielminus in Patavina Univerſitate, dum viveret, Lector*) *idem Author Moralis Theophili objectiones urbanè ſimul, & nervosè refellit, alterum anno* 1711. *edens Libellum, in quo apertiſſimè a vitiis Voluntatis errores Intellectus*

ſejun-

ſejungens, & hos, non illa objeciſſe Malpighio Sbaraleam oſtendens, eundem a culpa Injurii Scriptoris abſolvit. Per idem tempus Quæſtionem medicam diſcutiens, Horatio de Florianis reſpondebat egregius & ſummæ laudis Vir Franciſcus Simoni, qui ultimis hiſce temporibus incredibili Bononienſis Univerſitatis jactura diem obiit, & errores, quos Sbaraleæ Horatius objecerat, in Horatium ipſum rejiciebat. Sed cùm in ſummis Praxis ſuæ medicæ occupationibus ſæpè intermittens, & ſemper raptim ſcriberet, totam Reſponſionem perficere non potuit; illa autem pars, quæ poſt ejus obitum in manus meas pervenit, Authoris ſui indolem, & doctrinam ſpirat, & ſatis docet, potuiſſe illum commodiùs, & copioſiùs ſcribere; non potuiſſe ornatiùs, & fortiùs. Alteram Reſponſionis partem jam antea commiſerat doctiſſimo Amico ſuo (non nomen Petri Ægidii Olandi, *quod hic ſibi ſumpſit, ſed præſtantiam operis conſidera) divinans fortaſſe aut nimiùm implicantem occupationem, aut nimiùm properantem mortem eſſe effecturam, ne totam ipſe Reſponſionem abſolveret. Hanc demum abſolutam in hiſce duabus Epiſtolis tibi trado, Lector benevole. Lege, & vale.*

BR.

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
9	28	accomodare	accommodare
14	1	accomodare	accommodare
15	12	intentionis	intentione
17	7	quæ	de quibus
19	22	ac tutum	actutum
30	28	uterque	utrique
43	31	aliquid	aliqua
72	30	Chryſtallini	Cryſtallini
73	1	amænus	amœnus
79	13	erruere	eruere
84	11	reſpondeat me-miniſſe	reſpondeat. Meminiſti
	21	*leſioue*	*leſione*
90	15	miſteriis	miſterii
	19	myſterium	miſterium
91	30	Apuley	Apulei
92	6	Aæquum	Aequum
94	6	u-utramque	utramque
	9	ipſum	ipſam
95	26	impediſſe	impendiſſe
102	17	veteti	veteri
110	3	Denſingium	Deuſingium
114	4	*Authorum*	*Authorem*
115	28	exollere	extollere
120	6	nom	non
123	11	aliis	alii
128	11	multam	multum
136	6	comparenda	comparanda
149	34	Florinane	Floriane
162	18	tatione	ratione
164	26	excertitatiſſimi	exercitatiſſimi
168	34	*ordine*	*ordinem*
184	2	cryterio	criterio
185	7	poralogyſmi	paralogiſmi
186	24	puſtrema	poſtrema
189	14	Lyppis	Lippis
190	29	intimæ	intimè
		effectæ	affectæ
	31	aliàs	alias
192	6	licèt	licet
193	2	quòd	quod
	3	quòd	quod

FRANCISCUS SIMONI

LEONARDO SUO.

I. QUæſiſti a me, Leonarde Amicorum omnium chariſſime, ut geminas illas Epiſtolas, alteram quidem a *Luca Terranova*, alteram verò ab *Horatio de Florianis* adversùs Authorem Libri, cui titulus *Oculorum, & Mentis Vigiliæ* conſcriptas, poſtquam attentè legiſſem, judicium tibi de illis meum (cui quidquid tribuis, id omne humanitati tuæ debeo) ſincero Animi candore, reſcriberem. Addidiſti præterea, ne paucis eſſem contentus, neve rem iſtam ſummis tantùm, quod ajunt, labiis libarem: ſed, ſi quæ tibi placendi cura me tangeret (plurima autem tangit) aut ſingula quæq; aut ſin minus, ſaltem præcipua, in præfatis Epiſtolis enarrata, quanti demum ſint ponderis æſtimarem.

Verùm, hæc dum poſceres, vel animi indolem, & occupationes meas non ſatis tecum reputaſti, vel Epiſtolas illas (quod opinari ſatius duco) non antea ipſe legiſti; id enim ſi egiſſes, non aliud, puto, accidere tibi potuiſſet, quàm quod contigit mihi. Earum altera, cujus Author *Terranova*, non modò ingrata, ſed horrida lectu fuit; quippe quæ a moribus, ne arroganter dicam meis, certè iis, quos ita amo, ut meos eſſe velim, immane quantùm diſtet. Altera verò, cui præfixum *Horatii de Florianis* nomen, etſi moribus non adeò fœda, immodeſta tamen, uſque ac procax vel ſolo ejus titulo inſpecto viſa eſt, nihilque præterea continens, quod ſolidum, quod utile diſcerem, ſed inania plurima dumtaxat, ac frivola, quæque præcipuam controverſiam *ad diſtinguendum Studium Anatomicum, & ad Praxim Medicam dirigendam* inſtitutam, vix, ac ne vix quidem reſpicerent. Itaque diu mecum anceps hæſi, num ejuſmodi rebus tempus impenderem, *cujus unius* (ut rectè monuit Seneca) *honeſta avaritia eſt*. Cur enim refellendis injuriis vacarem, quæ vel crimine laborant ſuo? Cur ſupervacuis incumberem nugis, qui aſſiduis ægrotantium calamitatibus, animum æquè, ac mentem meam, ſeriò nimis torquentibus, totum me deberi intelligerem? Juſta quidem, Leonarde, hæc eſſe conſilia videbantur; ſed aliud interim ipſe juſſeras, cui injuſtum eſſet non obſequi. Num ergo optimo petenti Amico negarem, ut ſemel ſaltem luderem? Num, quod ut facerem genio invitari non poteram, te demum poſtulante, non cogerer? Profecto & cogi debui, & volui, cùm & quandoque fas eſſe pro Amico delinquere Aulus Gellius meminerit, & ea quoque apud ipſum ſit Ciceronis ſententia. Deliberationem hanc meam probaſſe adeò fortuna viſa eſt, ut dignam cenſuerit, cui & ipſa

Sen. de brev. vitæ cap. 3.

Aul. Gel. Noct. Attic. lib. 1. cap. 3.

ſa

ſa faveret; vix enim Epiſtolas illas pervolveram, vix quædam adhuc informia, ac nondum ſatis digeſta mente conceperam, quæ ſive uni, ſive alteri earum reponenda ducerem, cùm gemini hujus oneris parte nil tale expectantem, & vel quomodo evenerit planè inſcium, protinus tamen levatum me ſenſi. Ad manus ſiquidem meas pervenit Liber nuper editus *de Moralibus Critica Regulis* inſcriptus, modeſtia æquè ac Doctrina ſingularis omnino, & admirandus, in quo poſitis primùm Criticæ benè moratæ præceptis, ejuſdemque multiplici a Satyra, & Calumnia perpenſo diſcrimine, conferuntur ad invicem *prior Diſſertatio Sbaraleæ de Recentiorum Medicorum ſtudio*, & *Malpighii* ad eandem *Reſponſio*: rurſumque eadem *Reſponſio*, & *Liber Vigiliarum*; factaque ejuſmodi collatione, evincitur qui illorum Actor, qui Reus, ac uter ſit, in quo exemplum moderationis, & continentiæ magis eluceat; poſtremò *Epiſtolæ Terranovæ* morale examen inſtituitur; *Horatii* error intra idem genus notatur: impoſitum utrique a *Sbaraleæ* negatione onus, quod nec excuti, nec ferri poſſit, perpenditur; nullum denique aliud, præter laudabilis Palinodię remedium, quo honoris ſui jacturam reparent, ſuppetere iis poſſe ſtatuitur. Quæ quidem omnia, de re morali, quam *Epiſtolæ ſuæ* potiſſimum argumentum fecerat *Terranova*, ſatis ſuperque cùm ſint, eorumque Lectio, aut habita, aut haberi a te facilè poſſit, jam ſentio de hac ipſa re, nullum ampliùs habendum mihi negotium, cùm nec aliquid tibi eſſe putem, quod ampliùs deſideres.

II. Ne tamen videar hanc ipſam, quam mihi commiſeras, Provinciam lubens nimis deſerere, ac ſi petitionis tuæ partem iſtam antea inviſam habuerim, nec propterea ex animo tibi parere ſuſceperim, nonnulla ſaltem, quæ dum Epiſtolam illam percurrerem,

vehementiùs aliquantò me commoverunt, indicare tibi non prætermittam. Literarum itaque honorem turpiſſimis hiſce ſcribendi modis nimiùm fędari, atque eò trahi Philoſophiæ Naturalis ſtudia, ut Moralis peſſimè corrumpatur, acerbiſſimè in primis dolui; neque intelligere ſatis potui, qua tandem lege, quove titulo ſibi licere putaverit *Terranova* id agere, quod quaſi ab altero actum tam iracundè, tam fervidè, immo tam æſtuosè damnaverat. Conſideravi præterea, quoſdam eſſe, quibus placeat, ſi Ebrium offenderint Catonem, vel ipſam Ebrietatem laudare, atque adeò cum Seneca dicere: *faciliùs efficies hoc crimen honeſtum, quàm turpem Catonem*; quoſdam, qui de Amico bene omnia prædicent, ac, ut Taciti utar verbis, *ipſa vitia pro virtutibus interpretentur*, etiamſi Cato non fuerit; ſi quem verò minùs amant, hujus vel ipſę virtutes, vultum illis habere vitiorum videantur; quoſdam denique, qui cùm aliquem laudare, aut exprobrare ſuſceperint, non ſatis honori ſuo conſuluiſſe ſe putent, niſi aut omnino laudatum extollant, aut exprobratum dejiciant. Horum omnium affectus in ſe admiſiſſe viſus eſt *Terranova*, & dum in Præceptoris ſui Encomia, totus effunderetur, ac, *ut neminem ſua ætate in Naturæ cognitione priorem, ſic in omni genere laudis, in omni virtute, & morum integritate, meliorem neminem extitiſſe* ſcriberet, & dum in *Vigiliarum Auctorem*, ſcommata undequaque, ac maledicta cumularet. Sed his tandem artibus uti, atque ita ampullari, utcumque Rhetores, ac Poetas, exiguis etiam rebus amplificandis ex inſtituto ſtudentes decet, minimè autem eos, quibus unicus vera narrandi ſit ſcopus: utque ab hoc genere Elogii parum habet, de quo vel optimus quiſque ſibi gratuletur; ita ab hoc genere Convitii, nihil eſt, quo vel peſſimus aliquis terreatur. Non te latet inventa

Sen. de Trāquill. cap. 15.

Cor. Tac. Hiſt. lib. 1.

Epiſt. Terranovæ pag. 6.

quan-

quandoque fuiſſe Ingenia, quæ raræ oſtentandæ facundiæ veſanâ quadam ambitione percita, his ipſis artibus & vitiorum laudes, & Satyram ſcriberent Virtutum: neque ideo tamen propitiante Numinum favore, hæc poſteris ita arriſerunt, ut deſerendam virtutem, ruendumque in vitiorum amplexum eſſe ſibi unquam ſuaderent. Porro meretricia laus eſt, quæ, ubi præſertim de hominibus agitur, nullo freno, nulloque pudore effertur in publicum, ſed utcunque tamen ferenda, utpote quæ caſta tandem fieri poſſit, ſi quod illa hominibus tribuit, id ſolis detur virtutibus vel extra homines poſitis, quarum perfecta poſſeſſio donum eſt, altiùs multò quàm ab ipſo homine proficiſcens. Non ſic verò ferenda, quæ alienos nominatim mores infami nota traducit detractio, ſed iniqua habenda, ac bonis omnibus deteſtanda, utpote quæ vitiis ſolis non ita tribui poſſit, quin homini ipſi affigatur, cujus totum eſt quod vitii eſt. Hæc ſi ſatis animadvertiſſet *Terranova*, dum *Epiſtolam ſuam* ſcriberet, atque eò præcipuè, dum *Authoris Vigiliarum* mores carperet, futurum oppidò fuerat, ut vel ille conſilium mutaret, vel nullum eſſe, quo ſe tueri poſſet ingenium, cognoſceret. *Dabo operam* (inquit) *ut nihil honeſto, nihil Philoſopho, nihil Chriſtiano homine indignum mihi elabatur* (egregia ſanè, nulliſque unquam laudibus ſatis celebranda promiſſio, ſed audi quomodo implenda) *nunquam enim, aut ferè nunquam, ubi de moribus agetur, rem ita eſſe at ſemper ſolùm ita videri affirmabo; imo potiùs arbitrum Lectorem conſtituam, ità videatur, necne*. Quid hìc tu Leonarde? An unquam putaſſes inveniri artem, & quidem omnino facilem poſſe, qua impudens, effera, & cunctis alioquin damnata alieni nominis detractio, tam modeſta repentè, tam lenis, tam innocens fieret? Et tamen inventa hæc eſt, ſi credimus

Epiſtol. Terranovæ ibid.

Ter-

Terranova, eaque ſimplici tota clauditur verbulo. *Videri* itaque aliquem, aut Sycophantam, aut Verberonem, aut Impium, aut Sacrilegum, ac ſi quæ iſtis pejora alia ſint nomina honeſtum fuerit hac arte dixiſſe, & neque honeſto, neque Philoſopho homine indignum, propterea quòd non ita res eſſe, ſed ſolùm ita videri affirmetur? At ſi quis, vel iſta, vel ſimili utens phraſi, modove loquendi, acriter ipſum *Terranovam*, ac injuriosè corriperet, nullus dubito, quin maleſanam Doctrinam (quod antea non intellexerat) ſibi tunc placuiſſe ſentiret. Verùm quando de hac ipſa re, nonnulla acutiſſimè tetigit Auctor Libri ſuperiùs memorati pag. 98. non ego aliud quicquam addam, id unicè animadvertiſſe contentus, videlicet, ne hanc quidem regulam uſpiam illum ſervaſſe, qui omne genus argumenta, inania licèt cuncta, ac miſera, congerere, ubique non prætermiſit, quibus *rem ita eſſe*, potiùs quàm *ita ſolùm videri* minùs cauto cuilibet, non dicam imponere (neque enim prava hæc mihi de eodem opinio eſt) ſed ſuadere niteretur. Permulti ſunt, quibus ratum facere id poſſem, præfatæ Epiſtolæ loci, ſed omnes colligere, nec vacat, nec refert. Inſigniores tantùm aliquos, tres potiſſimum, aut quatuor proferam, quos, ut altiori mente repoſui dum legerem, ita nunc quoque memoria firmiùs teneo. Primus omnium occurrit pag. 18. ubi anxiè laborat *Lucas* oſtendere, tunc mendacem fuiſſe *Vigiliarum Auctorem*, cùm ſcripſit pag. 385. quod in certa quadam ex ſuis ordinariis Lectionibus *nunquam fuit adducta ſimilitudo cum quibuſdam fruſtulis lanæ coloratis*. Ait ipſe verò *Illud dico, eſſe apud me Epiſtolam hominis ſpectatiſſimæ fidei, qui me iſtorum, quæ ſcire alioqui ipſe non poteram, certiorem fecit, quique commodùm inter cæteros hanc, de qua loquimur, lectionem audivit; eundemque dico religioſiſſimis Sacra-*

Epiſtol. Terranovæ pag. 18.

cra-

cramentis mihi affirmare, & cuilibet, publicè etiam, ſe eſse affirmaturum ſpondere, iſtam, quam ille negat in ea lectione ſe adduxiſse cum quibuſdam fruſtulis lanę diverſimodè coloratis ſimilitudinem, iſtam ipſam revera in eadem adductam eſse, eſseque plures Bononiæ ſibi probè notos, qui idem confirment. Vide, quæſo, quàm vafrè, quàm vehementer, quàm ſecurè, ignotus interim ipſe homo ex ignoto pariter homine hæc ſcribat, credique cunctis velit, non ita quidem videri, ſed ita eſſe. Spectatiſſimam vocat aſſerentis fidem, religioſiſſima ejuſdem Sacramenta in medium profert; publicè etiam hoc illum eſſe affirmaturum ſpondet, tandemque alios, qui Bononiæ degunt, in hanc ipſam confeſſionem, plures ex ipſo adſciſcit Teſtes, quibus probet *iſtam ipſam* (ſimilitudinem) *re vera -- adductam eſse*; quaſi verò de quocunque noto homine, quicquid ignoti oloquantur, præſumendam animi honeſtatem, rectamque mentem, Sanctiſſima legum omnium jura, non juberent, aut *Terranovę* poſthabenda hæc forent. Sed tantus iſte fortaſſe ſibi videtur, ut hoc ipſum ſperet, idque ex eo facilè colliges, quod ille tam liberè, tam ſecurè, aliorum moribus pretium ponat, ac ſi cunctorum tandem hominum fides, ac probitas, vel nequitia, ac calliditas, ſuo ſtarent judicio. Neque enim hìc tantùm *ſpectatiſsimam* grati ſibi hominis *fidem* abſolutè definit, quam alioqui valde aliis haberi ſuſpectam fas ſit, ſed & infra pag. 26. *Vigiliarum Auctori* acriter ſuccenſens, quòd ſcripſerit: *Nolumus credere* (Antagoniſtam) *ſcripſiſse, quæ non viderit, licèt nonnulli hoc indubitanter affirment*; ac rurſus: *amicos communes ex ore ipſius Authoris id ſibi retuliſse*, tandemque in opuſculis pag. 183. *Figuram ſpermaticorum Bombycis ſe mente concepiſſe olim Amico noſtro ipſe Antagoniſta ſubindicavit* [quos quidem locos, quantum ipſe corruperit *Terranova*

Ocul. & Ment. Vigil. pag. 174.

Id. pag. 607.

poſtea

poſtea oſtendam]ob hæc, inquam, *Vigiliarum Auctori* acriter ſuccenſens: *At hunc* (ait) *Amicum, aut hos Amicos, ſi qui ſunt* (*nam ullum prorſus eſse non credo*) *vellem ego, & ſummoperè optarem in medium prodire, & vultum efferre, & hæc ipſos dicere, ut raro iſto ſpectaculo incredibilis impudentiæ homines non carerent, ſed eorum, qui talia dicere audeant, perfrictam, duram, & ferream frontem, ipſumque os petulantiſsimum poſsent intueri, & ceu prodigioſæ inſolentiæ portentum digito monſtrare.* Quæ quidem omnia, quantum habeant effrȩnis, immodici, atque inconſiderati impetus, etſi nemo non videat, vehementioribus tamen hiſce aliis excipiuntur, videlicet: *neque ullam inferre me injuriam arbitror iſti Vigiliarum Scriptori; ſi planè, & apertè dico nullam ipſum in hac re fidem mereri, non tantùm* - ſed præſtat reliqua omittere, quando animus rectè inſtitutus vix ſuſtinet iſta adduxiſſe. Jam ergo, quod tu, quod ego, alieno potiùs, quàm noſtro diſcamus periculo, Leonarde optime, mecum perpende, quò tandem homines rapiat cȩcus quiſque ac rebellis affectus, eò nempe, ut nec injuriam inferre ſe putent, cùm graviſſimam inferunt, nec ex Platone meminerint pejus eſſe injuriam facere, quàm pati. Quanquam enim crimine aliquo optimus quiſque non careat, dum vivit, optandum tamen, ut ſinguli ſaltem hoc careant, cujus præ cȩteris quidem omnibus difficilis litura eſt, quippe quæ aliunde haberi non poſſit, quàm ab ipſa difficili alieni honoris reparatione, propriique tandem erroris oneroſa, ac ægrè impetrabili, ſancta quamvis, & ingenua confeſſione. Atque eo quidem magis dolendum, quo levioribus ſæpe de cauſſis, & nugis potiùs, quàm rebus, patratur hoc facinus, quemadmodum eveniſſe hìc video. *Nolumus credere* (inquit Auctor Vigiliarum) *Antagoniſtam ſcripſiſse quæ non viderit, licèt nonnulli*

hoc

Epiſtol. Terranovæ pag. 26.

Plat. Gorgias vel de Rhet.

hoc indubitanter affirment. Quod hoc ipſe credere noluerit, amicitiæ potiùs, quàm indignationis cauſſa *Terranovæ* eſſe debuit: quod nonnulli id aſſeruerint, vel ex præſtantiſſimo, quem & ille ſic vocat, Svvamerdamio jam jam patebit, ne alios interim, quos facilè plures poſſem, in hanc rem tibi citem Auctores. Falſum verò eundem *Vigiliarum Scriptorem* pag. 607. *amicos communes ex ore ipſius Auctoris id ſibi retuliſſe*, corruptus eſt locus; neque enim uſpiam legitur Amicos communes id retuliſſe, quod ſcilicet *Antagoniſta ſcripſerit, quæ non vidit*, ſed quod rudimenta quædam obſervationum obtinuerit, atque illis deinde fretus, multa ſuo marte addiderit. En tibi Textus verba: *unde alterum ex duobus neceſſe eſt inferre, ſcilicet, aut ſuis microſcopiis rudimenta quædam obſervationum obtinuiſſe, & poſtea illis fretus, multa ſuo marte addidiſſe, ſicuti Amici communes ex ore ſuo nobis retulerunt &c.* Vigil. pag. 607. quibus porro nihil aliud exprimitur, quàm quod maximè conſonat, quodque ideo, ut ingenuè alicubi ſcripſit, ita proprio etiam ore, ultro aliquando fateri *Poſthumus* ipſe *Auctor* potuerit. Num enim omnia, quæ ſcripſit, vidit, cùm & ipſe ſe non vidiſſe candidè ſæpius dicat? Num aliqua viſis cogitando non addidit, non dico, quæ uſum, ſed quæ ſtructuram ipſam partium reſpicerent? Qui hæc neget, in illius ſchola planè habendus eſt hoſpes, adeò enim familiare eidem fuit, quod ſenſu non poterat, ratione & conjecturis firmare, atque ita ſuis cogitatis accomodare, ut nihil magis. Nolo pluribus hìc te morari, ſed unum, vel alterum accipe, quod inſtar omnium ſit. De adipoſis Ductibus ſcripſit (en obſervationis rudimentum) ſed an Vaſa eſſent, vel filamenta non vidit, quamvis probabiliùs Vaſa eſſe ſtatuerit (en quod ſuo marte addidit) quorum tamen utrumque ſuſpectum tandem in

Operibus Poſthumis habuit. Ad glandularum naturam pleraſque membranas revocavit, ſed glandularum interim ſtructura potiri, ſeu mavis ex folliculis ipſas conſtare non vidit. Rudimentum obſervationis fuere determinata foramina, ex quibus compreſſis extillat humor; additamentum fuit, deducta ex ſolis quibuſdam conjecturis, inviſibilium licèt folliculorum exiſtentia. Luculentiſſimè iſtorum utrumque ſequentes textus probant. *An cava ſint hęc adipoſa Corpora inſtar Venarum, & Arteriarum, itaut quaſi per tubulos fuſa pinguedo propagetur; an verò ſint veluti filamēta, per quæ excurrant adipoſæ particulæ, arduum eſt determinare, quia ob exiguitatem, & luciditatem, ſenſus nequit attingere accuratam, & minimam ſtructuram: Probabilius mihi tamen videtur, Vaſa eſſe, quia in recenter mactatis, æqualiter turgida apparent, & videntur veluti inteſtinula globulis referta.*

Malpigh. exercit. de omento, pinguedine, et adipoſ. duct.

Hic quidem pro prima; en verò alium pro ſecunda, quam innuebamus re textum. *Pericardium ipſum glandula eſt, vel glandulòſum Corpus, quod proprium humorem perpetuò ſeparat --- facta itaque compreſſione in interiori membranæ ſuperficie, guttulæ minimæ fere innumeræ a determinatis orificiis proſiliunt. --- Diu laboravi in indagine, an ſingulis orificiis loculus, ſeu folliculus glanduloſus continuetur, & intrà utramque membranam cuſtodiatur, an verò ſolà tunica denſa ſit, veluti amplus, & extenſus folliculus, cujus peculiaris ſtructura ſerum a delato ſanguine ſeparet. Probabilius mihi videbatur Pericardium minimis folliculis ditari, eò quia compreſſum Pericardium, ſæpius etiam poſt alteram diem, guttas reddebat.* Cùm igitur hæc tam vera, tam modeſta, ac tam perſpicua ſint, quo tandem conſilio ductus *Terranova*, iſtum *Auctoris Vigiliarum* locum inſidè adeò, primùm retulerit, deinde hoc incredibile omnino judicaverit, Præceptorem ſcilicet ſuum jam non de quibuſ-

buſdam tantùm ſingularibus, ſed generatim de omnibus ſuis obſervationibus, vel coram Amicis aliquando dicere potuiſſe, quod iis, quæ per ſenſum non integrè aſſecutus fuerat, multa ſuo marte addiderit, ſanè non video. Sed & minùs adhuc percipio, *quo numine læſo, quidve dolens* tanta ira in eos ipſos Amicos exarſerit, qui id fortè audire, ac integro etiam animo renunciare potuerint, ut optare ſe ſcribat *illos in medium prodire, ac vultum efferre* (quod ab ipſo interim larvato homine optari, valde ridiculum eſt) *duramque, perfrictam, & ferream eorum frontem, ipſumque os petulantiſſimum* vocet, quemadmodum ſupra audiviſti. Quæ ergo inutiles ejus iræ hìc ſunt, quæque nec meritò in *Vigiliarum Auctorem*, nec in præfatos Amicos cadunt, in quos tandem alios evomere juſtiùs poſſit, ne fortè eas perdat, docebo, ſi modò juſta ſit, quam ille tueri videtur, quamque ego ſubjicere examini hìc nolim, ſententia, indignum nempe, ac alieno nomini injurium eſſe, de quocunque tandem Auctore affirmare, quod *ſcripſerit, quæ non viderit*. Præ primis itaque id egit Præceptor ſuus in Poſthumo Opere editionis Londinenſis pag. 13. (hanc enim tibi, & cito, & eſſe citandam cenſeo, quibus verò rationibus, priuſquam Epiſtolam iſtam conficiam, monebo) ubi metaphoricis corymbi, & ſimilium nominibus, ſanguineorum pulmonis vaſorum progreſſum deſcripſiſſe VVilliſius dicitur, & *fictis obſcuriſque iconibus* adumbraſſe. Quinimmo vox illa *fictis* aliquid etiam fortaſſe plus ſonat, quàm iſta *non viſis*. Sed & expreſſiùs hoc idem egit Borellus in ſuo Italico Scripto, *Poſthumis Operibus* inſerto, pag. ejuſdem quinta, dum pro ipſo *Terranovæ* Præceptore pugnaret: neque enim ibidem dubitavit de *Euſtachio* aſſerere, quod potuerit *avere ſcritto quello, che non aveva veduto, e che poi a guiſa degli Oracoli de'*

Gentili il caſo hà portato, che ſi ſia verificato. Poſtremò denique Svvamerdamius (quem præſtantiſſimum, ut dixi, & jure merito, appellat *Terranova*, dum ex ipſo honorifica quędam de Præceptore ſuo ſenſa producit; ſuus verò idem Præceptor de contradicendi ſtudio accuſat, & calumniæ inſimulat, ubi ſecum non conſentit) Svvamerdamius, inquam, non *Auctor Vigiliarum*, de eodem *Terranovæ* Præceptore loquens, & præcipuè de partibus ſpermaticis, & ſpinali medulla Bombycum ab ipſo obſervatis, & icone expreſſis, ait: *figuram etiam ipſam mente concepiſſe videtur*. Quibus verbis, licèt præfatus *Vigiliarum Auctor* propria ſtatim hæc addat, *quod olim amico noſtro ipſe Antagoniſta ſubindicavit*, non hæc ipſa tamen, aut Svvamerdamium, ſi reus ſit, a crimine abſolvunt, aut ipſum *Vigiliarum Auctorem* ejuſdem criminis reum faciunt. Poſtremùm hoc liquet ex eo, quod illud *Amico ſubindicaſſe* Antagoniſta dicatur, non verò apertè tradidiſſe; *ſubindicare* enim eſt tantùm obſcurè aliquid dicere, ex quo aliud quidpiam colligi poſſe videatur, ſed minùs tamen certò; & hac ipſa quidem germana ſignificatione, ut alibi in ſua Epiſtola, ita potiſſimùm pagina ejuſdem undecima verbum hoc uſurpavit *Terranova*, inquiens: *quæ ego omnia non ea quidem mente recenſeo, ut credi velim, id verum eſse, quod iſta videntur ſubindicare*. Simile autem quid dicere aliquando Præceptorem ſuum potuiſſe, ſincero etiam audiente Amico, quid vetat? Vel ergo iſtos quoque tibi jam adductos præclariſſimos Viros, propterea quòd ſcripſiſse aliquem dixerint, quæ non vidit, *ceu prodigioſæ inſolentiæ portentum digito monſtrare, & planè, ac apertè dicere nullam ipſos in hac re mereri fidem*, vel *Authorem Vigiliarum*, qui neque abſolutè, aut citra eos, quos innuimus, limites, de *Præceptore ſuo* id affirmavit, injurium ſe fuiſſe, fa-

Op. Poſth. pag. 58. & 60.

Epiſtol. Terranovæ pag. 26.

teri

teri *Terranova* debuerit. Quamquam re ſeriùs perpenſa, injurius potiùs ſibimetipſi fuerit, qui ejuſmodi levibus, injuſtis, immo nullis ſæpe de cauſſis, grave aliquod convicium in quemcunque demum hominem conjecerit, quod & rectè docuit Seneca, dum ſcripſit: *multi dum aliis maledicunt, ſibi ipſis convicium faciunt*. Verùm ego, qui nuper aſſumpſeram *Terranovam* docere, in quos ille poſſet bilem ſuam evomere, nondum fortaſſe eidem placui; nam, ſi quid video, nec *Præceptori ſuo*, nec Borello, nec Svvamerdamio iraſci ſuſtinuerit. Itaque alios etiam monſtrabo, in quos ille tutiùs animari, & poſſit, & debeat: monſtrabo, inquam, ſed notos tamen ſibi magis, quàm mihi; eos ipſos ſcilicet, quos ille innuit (quamvis nec aliquos eſſe innuat) tunc quando conſilium ſuggillat, *quod ipſum* (intellige *Auctorem Vigiliarum*) *aiunt habuiſſe, dum nunquam in Opuſculis, nunquam in tam longo Vigiliarum Libro ne ſemel quidem Præceptorem noſtrum proprio nomine appellavit; quod ego ſanè laudabili aliqua de cauſſa factum crediſiſſem. Aiunt enim ipſum, dixiſſe: hac ratione prætuliſſe ſe facem, & luculentiſſimum exemplum dediſſe, quomodo, cùm omnes ferè, qui à quadraginta circiter annis prodierunt, Medicorum, & Philoſophorum Libri, paſſim Viri nomine repleti ſint, quomodò, inquam, Medicus quilibet, atque Philoſophus, in poſterum queat ſuos libros conſcribere, nunquam eundem nominando.* At iſtud, quod *Terranova* bis repetit *ajunt, ajunt*, qui tandem hominum ſunt, qui ajunt? Sanè cùm nec homines eſſe ipſe dicat, quid ego cogitem neſcio. Scio equidem quid doleam, actum ſcilicet exinde *Terranovam* fuiſſe, ut honeſtiſſimum ſui ipſius animi ſenſum, hoc nempe, *quod ego laudabili aliqua de cauſſa factum crediſiſſem*, in peſſimum illud mutaſſe, fere ſit viſus. Quomodocunque tamen res iſta ſe habeat, nulli certè aptiùs, quàm huic, ſuam illam

Epiſtol. Terranovæ pag. 23.

ſu-

ſuperiùs adductam exclamationem, accomodare unquam poterit, mutato dumtaxat *Amicorum* nomine, eorumque, qui talia *ajunt* in ipſius locum ſuccedere juſſo. Inviſis hiſce, ac deformibus, quæ jam non ego calumnias, ſed miſeras potiùs deceptiones vocabo, affine adhuc aliud interea adjiciam, quod non fuit ſimplicitatis meæ diſſimulare, quodque ille his verbis tradidit. *Certior enim factus ſum, tranſmiſiſſe eundem* (de Authore Vigiliarum loquitur) *ad nonnullos ſuum hunc Vigiliarum Librum additis in margine & ſingulorum, qui in ipſo ſubindicantur nominibus, & ſimilium quæ meliùs latuiſſent, rerum explicationibus &c.* Hoc autem ipſum, quod ille certiorem factum ſe dicit ita eveniſſe, jam ego non eveniſſe certiſſimus ſum, atque adeò non poſſum non vehementer mirari, aut auſum ipſum nullo pudore hoc fingere, aut (quod honeſtiùs mihi fuerit cogitaſſe) Sycophantæ alicui homini nimis facilè credere; quod tu interim diligenter perpendas velim, ut de adducto etiam ſuperiùs loco, quo ex Epiſtola hominis ſpectatiſſimæ, ut ait, fidei, eorum, quę audiviſti certiorem ſimiliter factum ſe dicit, quid vel hoc titulo ſentiendum ſit, meliùs deliberes. Acerbum mihi fuit, Leonarde, omnia hucuſque tibi ~~narrata~~ legiſſe, atque eò quidem acerbiùs, quòd nec ab altero, nec in alterum ſcripta fuiſſe, æquus quiſque hominum cogeretur optare. Cæterùm altiùs multò, ac in intimas uſque animi mei medullas deſcendit, ſacroque eundem horrore totum concuſſit *Terranovæ* proteſtatio, ubi fortè eandem rurſus inſpicerem, cujus deformem aſpectum, oculis primùm rapidè recurrentibus, non ſatis attigeram. *Dabo operam ut nihil honeſto, nihil Philoſopho, nihil Chriſtiano homine indignum mihi elabatur.* Lugenda hìc mihi Moralis Philoſophiæ, honeſtorumque morum damna equidem videram; Religionis non vi-

Epiſtol. Terranovæ pag. 44.

Epiſtol. Terranovæ pag. 6.

videram. Jam ergo tibi finge, Lectorem aliquem in hæc verba incidere, qui quales ſint, quos noſtra Religio præſcribit, ſanctiſſimi undequaque mores, utì nunquam audierit, ita prorſus ignoret. Percurrat verò ille *Epiſtolam* totam, atque non modò pauca illa, quæ nuper ego expendebam, ſed & alia longè plura, injurioſa, minacia, odiumque veluti, ac rabiem quandam maledicendi ſpirantia, attentè conſideret; deinde ſparſas hìc illicque proteſtationes iſtorum Ulcerum pravitati, quaſi remedio futuras, de hominis dilectione, de ejus nominis æſtimatione, deque pravè ipſum inſimulandi intentionis, nunquam mente concepta, innumeris interim congeſtis argumentis, quæ aliud omnino ſuadere conentur, ſecum perpendat; quam tandem putas de Religione noſtra opinionem ejus menti inhæſuram, qui non niſi ex illius præſcripto, hæc literis *Terranovam* mandaſſe, jam antea monitus fuerit? Ego quidem futurum puto, ut de eadem peſſimè ſentiat, immo & cogitet, plùs illam habere artificioſæ ſimulationis, quàm veræ ſanctæque morum probitatis. Hæc quaſi *Theologicum argumentum* ſi rideat *Terranova* (de cujus tamen indole, poſtquam paſſionum æſtus deferbuerint, quos ſcio humanum eſſe interdum pati, meliora ſpero) lacrymis potiùs ille, quàm riſu dignus fuerit. Neque enim verè Chriſtianum eſt, aut *Vigiliarum Auctorem*, vel in ipſo quaſi *Epiſtolæ* limine *Sepulchrorum violatorem* vocaſſe [pag. 1.] aut piè defunctum Præceptorem ſuum, nihilque ampliùs de humanis ſollicitum, quaſi oculis tamen perpetuò obverſantem, ac improbæ adhuc ultionis, nedum miseræ nominis famæ (ipſis ejuſdem cineribus veriùs hoc modo violatis) cupidum, avidumque finxiſſe (pag. 2.) aut truces injuriis minas conſociaſſe, ſeverumque etiam poſt funera animum [pag. 4.] ſpopondiſſe, aut denique (pluribus

in-

interea prætermiſſis aliis, ne objurgare potiùs videar, quàm monere) cruentas, ac funeſtas, quæ inter *Poſthumi*, ac *Auctoris Vigiliarum* fratres jam dudum interceſſerunt inimicitias memoraſſe (pag. 9.) perinde ac ſi hujus ſanguinis hauſtu (quod olim Ethnicis perſuaſum fuit) Præceptoris ſui manes fuiſſent placandi. Miror ſanè, dum hæc quoque recoleret *Terranova*, nihil illum de objectata alteri Sepulchrorum violatione cogitaſſe, ad quam animum hìc loci intendere, ſummæ profectò neceſſitatis fuerat. Verùm, & *Clariſſimi Præceptoris ſui*, & alterius defuncti hominis, exactis jam ſortibus, quietiſque jam dudum Cineribus non ampliùs evolutis, *molliter oſſa cubent*, exulentque tandem a noſtra, ac cæterorum quorumcunque hominum memoria pernicioſiſſima verè ejuſmodi exempla. Hoc cuncti novimus Chriſtianum eſſe, ne ſcilicet, alieno quicquam honori detrahamus, aut alicui injuriam inferamus, quod in genere morum, potiſſimùm audit; ſi quando verò id cæco quodam, ſive impetu, ſive conſilio egerimus, jam tunc noſtrum fateamur errorem, noſtra revocemus dicta, veniamque ab offenſo petamus, cùm non aliter liceat priſtinam animi integritatem redimere. Quod ſanè mandatum ut ſanctè ſervarem, omnem quoque mihi curam adhibendam eſſe intellexi ſtatim ac calamum, tibi iſta ſcripturus arripui. Quanquam itaque ventis hæc ſcripſerim, ubi de ignoto homine ſcripſi, quanquam nec ea ſint, quæ vel bono ejus nomini, ſi quando vultum efferret, nocere poſſe crediderim, quanquam denique, vel nocitura, non ego, ſed ille, tunc iſta faceret ſua; ſi quid tamen inveneris, quod aut minùs honeſtum, aut illi quadantenus injurium eſſe videatur, jam (ſi me amas) illud prorſus deleas rogo: feciſſem enim & ipſe, ſi tale ipſe cognoviſsem. Ludicra quippe iſta ſunt, inania,

nia,

nia, ac levia, ſi verum fateri volumus; res autem magna, ſeria, ac in ævum vigens, eſt rectè factorum conſcientia.

III. His ego poſtquam metam hìc pono, non propterea tamen (quod fortè expectas) *Horatii Epiſtolam* ſtatim expediendam aſſumo; nonnulla quippe ſunt, quæ antequam id faciam, præmonitum adhuc te velim. Nihil eſt, ut optimè noſti, Leonarde doctiſſime, quod Reipublicæ Literariæ magis interſit, quàm optima in quacumque diſciplina ſtudiorum directio, ac methodus: ut enim non tam intereſt vivere, quàm bene vivere, ita non tam intereſt ſtudere, quàm bene ſtudere. Pars autem maxima bene ſtudendi eſt quæſiiſse priùs quid diſcas, didiciſſe priùs quod quæras, ne videlicet, in tanta præſertim vitæ brevitate, relictis utilibus, ſupervacua ſectemur, & glande potiùs, quàm frugibus veſcamur. Contingit autem id ſæpe ab hominibus fieri, vel quia propoſitæ ſibi artis finem non ſatis diligenter perpendunt, atque adeò a proprio ipſorum fine non diſtinguunt, vel quia artes ipſas, in diverſa quamvis collimantes, ac genio diſſitas ſimul confundunt, earumque ditiones, ac patrimonia, non bene ab invicem diſterminant: quo fit, ut quod utile uni, eſſe alteri ſupervacuum poſſe, non intelligant. Nuſquam verò, ſi attendere volueris, aut pernicioſiùs, aut frequentiùs, quàm in Arte Medica gliſcit hic error; cùm tamen omnium ea ſit utiliſſima humano generi, cui nihil eſt ſanitate pretioſius, nihil morbis infenſius. Arripiunt ſibi illam Philoſophi, atque ad imaginationis ſuæ licentias, ac luſus operosè inanes componunt; arripiunt Geometræ, & Artis ſuæ legibus, vel invitam cogunt ſervire: arripient fortaſſe in poſterum & Muſici, & Arithmetici, & varius cæterorum etiam Artificum genius, ſoliſque ipſam, aut harmo-

niæ, aut numerorum, aut ſuis quiſque aliis ſtare juribus jubebunt. Inter hæc ſudant, ac algent, quibus ſatis eſt ingenio, novitateque placere, ac aliquem de ſe ipſis rumorem ſpargere, fœneratis deinceps aliorum laudibus augendum, quos vel ipſi laudaverint, vel tacita retribuendarum ſpe laudum, officioſiſve demum blanditiis, ad laudandum pellexerint. Mutuò itaque inter ipſos agitur hæc famæ mercatura, qua profeſſoriæ potiùs, quàm germanę Medicinę, opes comparantur, & privatæ opinionis placens faſtus, potiùs quàm ęgrorum deſpecta indigentia alitur; adeò ut mirum non ſit, ſi noſtras nunc quoque aures circumſonet illud Hippocratis: *Medici quidem fama, & nomine multi, re autem, & opere valde pauci*. Iſtorum tamen hominum ſtudiis, non ego propterea quicquam detraho, ſed & ſuum illis honorem habeo, dummodo cum ſtudiis Clinicorum non confundantur; id enim ſi fiat, oneratur potiùs Ars Medica, quàm ornetur, ac multa in eadem jam utiliter inventa ſæpe etiam corrumpuntur. Huc reſpexiſſe viſus eſt & Baconus, dum de Medicis ſcriberet, quod experientiæ probatæ fructum ſæpe magiſtralitatibus ſuis deſtruxerunt. Graviſſimum ſanè erroris genus, quod in veterum æque, ac in Recentiorum Medicorum ſcholas jam dudum irrepſit, multamque de ſe perniciem fudit, eò quod ratiocinii intemperantia, utrobique peccatum fuerit. Non equidem nobis, Andabatarum more, cum morbis pugnandum; quinimò, & ratione, & experientia utendum, ſed utraque tamen Medica, non Philoſophica; atque, eo inſuper ordine, ut ratio experientiam, non experientia ſequatur rationem. Hanc, ſi ea, quam dixi, fuerit, nec docti contemnunt Empirici, ſed colunt; præſumptione quippe illi carent, non mente; jucunda arcent, non utilia; curationum momenta expendunt, non

Hippocr. Lex. ex verſ. Cornar.

Bacon. de Argum. ſcient. lib. 4. cap. 2.

non Theoriæ luxum; ac denique, ut compendio dicam, quæ Medicorum ſunt, ſeu meditationes, ſeu experimenta, ab iis, quæ ſunt Philoſophorum diſtinguunt; his quippe ad otium, & jucunditatem natis, multò plura licent, quàm illis ad humani generis ſalutem tuendam, morboſque vincendos vocatis. Quemadmodum enim, nec Privatorum otia, nec leves curæ, immo nec ſeria aliàs negotia, ſed irrequietus labor, ſolæque graves regnandi ſollicitudines Principem decent; ſic neque medicam, quam humanæ ſalutis præſidem Artem Celſus vocavit, fas eſt ad levia, vel amæna deflectere, atque iiſdem occupari; ſecus, ut quidquid Princeps neglexerit, plectentur Populi; ita quidquid erratum hìc fuerit, facilè luet mortalium genus, fruſtra ſuis calamitatibus opem imploraturum, quam medentes, ſtudiis ſuis aliò converſis, aut exiguam, aut nullam afferre didicerint. Raptim hæc, & calamo, ne minimùm quidem quieſcere juſſo tibi ſcripſeram, Leonarde doctiſſime, cùm protracti diutiùs laboris ingens tandem me tædium cæpit, cui ex jucundiori aliqua Lectione remedium quærere pro conſilio habui: ac ut ad manus fortè erant Ariſtophanis Comica, ac tutum ea, perquam avide arripui. Evoluto verò vix libro (audi rem ſanè lepidam) Strepſiadem ſenem acerbiſsimè conquerentem lego, quòd magnam æris alieni vim, quam in ſumptus Equorum Phidippides filius erogaverat, unde Creditoribus redderet, ipſe interim non haberet. Inſomni itaque, ac inter tot curas fruſtra lugenti, unum hoc tandem occurrit conſilium; Phidippidem ſcilicet rogat, Socratis ſcholam adeat, artem ibi edoctum iri ſperans, qua facilè Creditores fallat. Perfractè renuit id onus Phidippides, ſic ut, quamvis ſenex, illud ipſum aſſumere cogatur Strepſiades. Jam verò illi ſcholam ingreſſo, atque his verbis

Ariſtoph. Nebulæ. præmonito: *Putare autem te hæc oportet myſteria*, ſtatim *Diſcipulus* narrat, quot Pulex pedibus ſaltet, quaque tandem induſtria certum queat hujus rei experimentum capi: mox habitam nuper quæſtionem memorat, an per os canerent Culices, an per anum, quod & ſimul poſtremo hoc modo contingere, non ſine mechanica adjuncta ratione, ubi ille ſancitum jam monuit, hærenti planè, ac attonito ſimilis exclamat Strepſiades.

Tuba podex eſt igitur Culicum?
O ter beate Trula.
An facilè fugiens aufugiet pœnam,
Quicunque ſciverit Inteſtinum Culicis?

Subriſi mecum hæc legens, Leonarde, atque eò quidem jucundiùs, quòd aliud omnino agere cogitans, in ejuſdem, quam tunc mente verſaveram, rei, argutum ſanè Emblema fortuito me incidiſſe ſentirem. Videbar namque exinde ſatis apertè intueri, non magis certè Strepſiadi ad expediendas Creditorum moleſtias, quàm Clinicis ad ærumnas morborum profligandas, utile tandem futurum, ſi vel pedes pulicis numerare, vel Inteſtinum Culicis noſſe, vel pleraque alia hujus cenſus curioſa, ac inania, operoſiùs perquirere doceantur, quæ naturalem tamen Philoſophum tanquam Naturæ Hiſtoricum, præterire inobſervata non deceat. Horum familiæ, ſi quod aliud, *minutioris Anatomes*, *Dendranatomes*, ac *Anatomes comparatæ* ſtudia adnumeranda eſſe, in ſua *de Recentiorum Medicorum ſtudio* Diſſertatione Epiſtolari, idem qui *Libri Vigiliarum Auctor* jam pridem oſtendendum aſſumpſerat: nec aſſumpſerat modò, verùm & ſolidè, nervosèque probaverat. Poſtquam verò ſuperiùs monui, nihil magis intereſſe, quàm ut optima in quacumque Diſciplina ſtudiorum ratio habeatur, non eſt quod pluribus tibi ſuadeam, maximi hu-

hujus Dogmatis utilitatem, cujus præſertim tanta hodie viget neceſſitas, ut nulla unquam major fuerit; neminem quippe latet, ſi non omnes, certè Medicorum quamplurimos his fere ſtudiis totos ſe addicere, ſolidioribus interim aliis, ac magis proficuis, vel omnino neglectis, vel oſcitanter dumtaxat excultis. Verùm ad ea jam *tempora* (verbis utor Livii) *quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, perventum eſt*; nec ſatis fuit *Authorem Vigiliarum* expreſsè ſcripſiſſe: *Nulla Deo illata eſt injuria, quando ſtudioſa Medicinæ juventus monita fuit, ne tempus in Dendranatome profundat, ſi deſideret in Praxi proficere; potiùs meritum ſibi comparant apud Deum, qui ob beneficium Proximi ita laborant, quique perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*; & rurſus poſt adductas Clariſſimorum Virorum pro ſua ſententia auctoritates: *Ergo non ſunt ſomnia noſtra, quæ dicta ſunt, non contradicendi libido, non particulares fines, qui nos moverint ad ſcribendum, quia veritatem, quam defendimus, docuerunt, ac docent Medici primi nominis, & paſſim attulerunt Concluſiones, quarum in noſtris Diſsertationibus meminimus*; non, inquam, ſatis fuit *Authorem Vigiliarum* iſta ſcripſiſse, ne crederet *Terranova*, poſſe aliquem abſque improbæ ſuſpicionis nota adhuc petere, *num in proximum nullum aliud beneficium conferre potuerit, num alia nulla ſit practica veritas, quam defendat, num denique nihil aliud Medici primi nominis, ut ipſe ait, olim docuerint contra hujus ſeculi luxuriem; niſi quòd expreſſa ſtudia illius ipſius Viri, qui ob prægreſſa parùm ipſi charus credi poteſt, reprobanda ſint a Medicis, atque damnanda?* Quæ porro interrogatio, ut ea, quam nuper attulimus, ratione, valdè deformis, ac fœda, ita aliis mox adducendis, ridicula præterea, ac falſa eſſe deprehenditur. Ridicula quidem, quia, etſi multa ſint, quæ a quocunque tandem Scriptore in proximum conferri poſ-

Hiſtor. lib. 1.

Epiſtol. Terranovæ pag. 9.

poſſint beneficia; cui tamen hominum, & a quo Numine conceſſa poteſtas, aut datum jus fuerit exigendæ rationis ab eo, qui unam potiùs, quàm aliam veritatem defenderit, vel unum potiùs, quàm aliud beneficium in proximum contulerit (niſi tantus fortè ſit *Terranova*, cui id ſecretò committi potuerit) prorſus non video. Id equidem certè ſcio, nullum majus cuicunque Arti accedere beneficium poſſe, quàm, ut quidquid ſterile eſt, ex ejus Agro eliminetur, utpotè melioribus frugibus nociturum; quare & æquum eſt, ut multum quiſque illi debeat, qui vanis ſuccreſcentibus herbis averruncandis, manum admoverit, atque ita opimioris ſegetis Auctorem ſe fecerit. Ad hæc falſa eſt, ut innuebam, *Terranovæ* interrogatio, atque hæc præcipuè ejuſdem verba, *niſi quòd expreſſa ſtudia illius ipſius Viri, qui ob prægreſſa parùm ipſi charus credi poteſt, reprobanda ſint à Medicis, atque damnanda*. Non opus eſt, ut hìc oſtendam ea ſtudia, quæ *Author Vigiliarum* docuit, *parum, aut nihil ſolidiori Medicinæ Praticæ inſervire* ineptè admodum vocari *expreſſa ſtudia illius Viri &c.* cùm plurimorum & Veterum & Recentiorum ſtudia omnino illa ſint, ac fuerint; quippe & hoc egregiè oſtenſum eſt a præcitato Auctore Lib. *de Moralibus Criticæ Regulis* inſcripti cap. 9. n. 1., & Literato cuicumque homini ſatis notum eſſe arbitror. Hoc tantùm dicam, quod ſæpius ab *Auctore Vigil.* inculcatum, nondum ſatis intellexiſſe (neſcio quo fato) plerique viſi ſunt, ea nempe ipſa, quorum meminimus, ſtudia, *reprobanda eſſe a Medicis, atque damnanda*, nuſquam ipſum Auctorem prædictum, aut voluiſſe, aut docuiſſe. *Parum* quidem illa, *vel nihil* (quod notanter repeto) *ſolidiori Medicinæ Praticæ inſervire* firma ipſi ſententia fuit; ſed non propterea eorundem dignitati, quicquam detraxit, aut qui ea coleret quemquam non laudavit, tanquam hiſtoriæ natu-

tu-

turalis complemento glorioſè adlaborantem: tantum abeſt, ut *reprobanda eſſe a Medicis, atque damnanda* cenſuerit. Hoc, ut pluribus aliis in locis, ita apertiſſimè in *appendice ad Phyſico-Anatomicas Epiſtolares Diſſertationes*, his verbis expreſſit: *Nunquam a nobis abſolutè reprehendetur quodvis ſtudium Anatomicum, ſive minimum, ſive comparatum, ſive phytologicum, neque unquam cogitavimus illud inutile ſimpliciter appellare, uti repetitis vicibus, ſeu millies, & liquidò conſtat in noſtris opuſculis, itaut ſatisfacere nunquam poſſint, qui diverſimodè ſentientes nos caſtigant, ſed tantùm ſcripſimus pro Medicina facienda ſubtilitates incaſsùm quæri, & rerum minutias ad pondus practicum nullatenus pertinere, ſecus rem ſe habere, ſi naturalis ſpectetur hiſtoria, pro qua complenda prædictum ſtudium utile, ac neceſſarium eſt, omneſque tum Veteres, tum Recentiores extollunt*. Quinimò in hujus Doctrinæ propugnatione, tantus illi animi ardor fuit, ut hac una de cauſſa, ægrè tuliſſe viſus ſit, præfixam *Diſsertationi de Rec. Med. ſtud.* in Bibliotheca Anatomica poſtremæ editionis argumenti ſui expoſitionem, quòd ſcilicet verbis hiſce traderetur allatam diſtinctionem non continentibus: *Eaque propter continuo adferamus Epiſtolicam Diſsertatiunculam ab Anonymo conſcriptam, qua Recentiorum Medicorum in Anatomicis, ac præcipuè in viſcerum minimis, immo in variorum animalium, & plantarum ipſarum diſſectionibus, ſtudium, non parum reprehenditur, idque non tantùm quaſi inutile, ſed etiam &c.* Hanc itaque ſic allatam expoſitionem, cenſuram propterea vocavit, & judicium, non argumentum, & enarrationem (quod facere ipſum debuiſſe, *Horatius* contendit) cùm revera argumentum, & enarratio videri non poſſet, quæ rem aliter exponeret, ac ab ipſo tradita fuerat, ob adductas limitationes prætermiſſas. Hac, inquam, de cauſſa [quam *Horatius*, *Epiſtolæ ſuæ*

num.

num. VII., aut diſſimulavit, aut non intellexit, cùm tamen facilè intelligere debuiſſet ex ſupra allatis, quæ in eam ipſam enarrationem ſtatim regeſta fuerant, verbis] ægrè tulit, Auctorum Bibliothecæ Anatomicæ, tacitam hanc veluti Cenſuram, ac in eos ipſos (quod minimè negaverim) acerbiùs aliquantò commotus eſt, ſimul tamen veniam petendo, quòd de re gravi ageretur. Verùm hanc ipſam qualemcunque acerbitatem, ut muria graviore, *Vigiliarum Auctori* undequaque odium quærens, *Horatius* aſpergeret, eum quaſi prædictorum Virorum contemptorem, conviciatoremque, ibidem traduxit; miſero tamen facilèque, ni fallor, ruituro conamine apud eos omnes, qui animadvertent, quanta fuerit erga præcitatos *Authoris Vigiliarum* reverentia, & dum *Viros de re Anatomica optimè meritos* vel in hoc loco vocavit, & dum in *prima* ſua *Diſſertatione* eorum auctoritate propriam ſententiam munivit, & dum in *Vigiliis* palam edixit eoſdem ſe colere tanquam Magiſtros: quæ omnia ſatis probant, ęternùmque, fruſtra obnitente *Horatio* probabunt, quo ille honoris loco ipſos habuerit. Sed jam ipſa *Horatii Epiſtola* ultrò mihi aliud agenti ſe obtulit, ut fortè nimis cunctabundum, ac promiſſi muneris quaſi oblitum, me argueret, totumque tandem in ſe converteret. Etſi verò a propoſito hucuſque argumento ægrè admodum diſtrahar, quòd multa ſupereſſent adhuc caſtiganda ex iis pręſertim, quæ malam artem ſubolere videntur, diſtrahi tamen libenter patior, cùm faciliùs eſſe intelligam de hujuſmodi rebus longiorem ſermonem non admittere, quàm admiſſum moderari.

IV. Quamobrem hoc unum in poſterum agam, ut cuncta, nempe illa errorum Doctrinæ genera, quæ *Horatius de Florianis Auctori Vigiliarum* affingit, percurram, atque ita diſcutiam, ut quæ (niſi mea me fallit

lit opinio) viribus omnino ſunt languidis, ſponte ſua propemodum corruant, ac in Auctoris ſui caput ſæpe etiam facilè recidant. Sic iſtorum omnium inanitate perſpecta, erit fortaſſe tibi quid ampliùs, unde cum Amicis ſuaviſſimè rideas, præfixi *Horatianæ Epiſtolæ* tituli, puerilem, ac effrontem audaciam, quę *plus centum, & quinquaginta errores*, vel in uno Clariſſimi Viri Libro ſpondet oſtendere, atque ita longè Cardanum antecellere, qui, ut noſti, non niſi *de centum erratis Medicorum*, univerſam quamvis eorum familiam reſpiceret, peculiari Libro diſſerere aggreſſus eſt. Ne autem ſcribendorum ordo, ac ratio te lateant, ſcias in primis velim, ſeptem potiſſimùm eſse errorum Doctrinæ genera, quæ *ita Horatius* ſibi tractanda propoſuit, ut primò *Antonini ſui Præceptorem* (quem ego *Auctorem Poſthumum* fere ſemper nominabo) in ejuſmodi, quos illi *Auctor Vigiliarum* objecerit errores, nullo modo incidiſſe oſtenderet, deinde ipſum, qui objecit, revera eoſdem in ſe admiſiſſe probaret. Septem ille hæc graviſſimorum, ut vocat, errorum genera, diſtinctè recenſuit *Epiſtolæ ſuæ num. 9.*, quæ & ego propriis ejuſdem verbis recenſere hìc non omitto, quia fas erit eadem te ſæpius inſpicere, dum ex me leges modò primi, modò tertii, modò aliorum, atque unà ſæpe plurium generum erroribus, hìc illicque *Horatium* peccaſſe, quod ego quidem ſic innuam, ne moleſtum nimis ſit eadem verbis frequentiùs repetere. Horum itaque enumerationem, qualem tibi mox promiſi, hìc accipe.

Primò. Quæ nihil ad rem faciunt, in medium adducere.

Secundò. Aliorum inventa, & meditationes pro ſuis venditare.

Tertiò. Incautas, & præcipites propoſitiones confidenter proferre.

Quartò. Authorum mentem non aſſequi.

Quintò. Male eandem, & parum fidè referre.

Sextò. Sibi ipſi non conſtare.

Septimò noviſſimè. In ratiocinando, atque inferendo malè, abſurdèque procedere.

Singula ego hujus Hydrę capita [neque enim tanta ſunt, quæ Herculem deſiderent] eo ipſo, quo *Horatius* exhibuit ordine, disjiciam; deinde nonnulla, quæ Coronidis loco ille addit, ego quoque Coronidis loco diſcutiam. Statui tamen mecum, integram hujus materiæ tractationem, non una, ſed duabus Epiſtolis complecti; id quod, ut faciam, duæ itidem me impellunt rationes: prima, eſt quòd eam eſſe argumenti hujus vaſtitatem ſentiam, quæ niſi perfunctoriè admodum tractetur, ita ut pleraque inania eſſe, ac frivola verbis dumtaxat, non verò ulla addita ratione, indicetur, quemadmodum fecit *Horatius*, longiſſimæ etiam Epiſtolæ modum excedat: ſecunda, quòd fieri poſſe crediderim, ut perpenſa eorum levitate, quæ ex *Horatio* ipſo in hac prima exhibet, alterius tibi deſiderium ceſſet, illiuſque conſcribendæ labore fortaſſe me abſolvas. Hanc tamen abſolutionem ut mihi concedi non peto, ita ſi concedatur, non aliter in commodum meum vertam, quàm ut onus iſtud ex humeris meis excuſſum, alicui Amicorum meorum imponam, id quod tibi indicare conſonum duco, ne fortè eò etiam adducaris, ut ſuſceptam Provinciam omnino deſerere, atque incompletam relinquere jubeas, cùm tibi conſentire id ampliùs non poſſim. Hæc interea dum agam, duo erunt, quæ me ſępius pręſtare oportebit; alterum ſcilicet, ut in quibuſdam *Auctorem Poſthumum*, rectè quidem ab *Authore Vigiliarum* reprehenſum fuiſſe oſtendam; alterum verò, ut quoties *Poſthuma* ipſa *Opera* citanda mihi fuerint, eorundem citationes ex *Londinen-*

nenſi editione petam. Quamobrem circa duo hæc ipſa moneri aliquid te velim, ne fortè alterum temere, alterum verò inconſultò egiſſe me putes. Primum ergo, quod attinet, Clariſſimum *Marcellum Malpighium*, quem *Auctoris Poſthumi* nomine deſigno, quamvis ſupra hominum conditionem non ita eveho, ut nullam eſſe velim, qua jure notari poſſit, culpam [meretricium enim, ac adulatorium hoc eſt, ut antea monui] non propterea tamen tanquam eximium Philoſophum, ſolertiſſimumque naturæ indagatorem, ac rei Anatomicę Cultorem non miror: quod idem de Celeberrimo *Vigiliarum Auctore*, nempe *Jo. Hieronymo Sbaralea* omnigenæ licèt eruditionis, ac literaturę Viro, non minùs dictum volo. Ad alterum verò, quod ſpectat, ut *Londinenſem* potiùs, quàm aliam *editionem* tibi citem, ea me impellit ratio, quę & ipſum fortè *Vigiliarum Auctorem* impellere potuit, ut idem faceret. Prima enim omnium illa in lucem protracta eſt, & quidem non ignobili aliquo in loco, nec apud rudem, ignarumque Populum, ſed Londini, & apud Regiam Societatem (ſatis eſt hoc nomen, ut omnium clariſſimos doctiſſimoſque Viros intelliges) cui omnino curę eſſe debuit, ut hæc ipſa tanti Sodalis opera, non uſque adeò deformia, ac Authoris ſui exemplari minùs reſpondentia, qualia et ſibi fingunt *Lucas*, & *Horatius* ad eruditorum manus pervenirent. Quinimmo cuicunque rem iſtam attentiùs penſitanti, æquum certè fuerit opinari, unam hanc editionem fuiſſe, quę, utpote omnium prima, ab Auctoris exemplari pependerit, reliquas verò non in ipſum Auctoris exemplar, ſed in ſolam hanc editionem reſpexiſſe; cui propterea quidquid mutationis acciderit, id omne eorum judicio, qui ſe illius Correctores fecerunt, potiùs quàm Auctori ipſi deberi videtur, adeòque & minùs genuinum eſſe oporteat;

teat; ſi Typographi ſaltem errores exceperis, quos jam in iſtud examen non revoco. Meminiſſe ſubit, dum hæc tibi ſcribo, acerbiſſimè illius objurgationis, qua *Vigiliarum Auctorem* corripit *Terranova Epiſtola ſua numer. 6.* eò quòd ſcripſerit: *ſemper vanam illam expenſam irriſimus, quam aliquę Univerſitates efficiunt, pro conſiciendo Kalendario, vulgò Tacuino &c.* Contendit ſiquidem contemni hìc Bononienſem Univerſitatem, apud quam ſimilis conſuetudo vigeat, quæ [ait ille] *ſi non laudibus extollenda, certè pro antiquitatis obſequio diſſimulanda, omnino verò pro tantæ Univerſitatis reverentia publicè non ſubſannanda.* Jam verò nihil dicam de hoc argumenti genere, quod ſatis tactum eſt ab Authore *Libri* ſæpius citati *de Moralibus Criticæ Regulis* cap. 11. Sed hoc tantùm dicam, potiori nempe jure fieri omnino poſſe, ut *Terranovam* rectè quis arguat, quòd *Londinenſem editionem* tam malè habendo, debitam Regiæ Societati, cujus ſub oculis evulgata eſt, reverentiam violaverit, ſibique nimiùm tribuerit.

Ocul. & Ment. Vig. pag. 429.

Terran. ibid. pag. 43.

V. His ita præhabitis, jam ad errorum examen devenio, ſub quorum primo genere, ait *Horatius Authori Poſthumo* immeritò objici, quod *aliqua, quæ ad rem non faciant, in medium adduxerit*; mox duo addit, ex quibus id probet. *Sic* enim [inquit] *pag. 462. nihil eſſe ad rem dicitur ſimilitudo quædam, quam a Pictoribus ille deſumpſerat in ſua poſthuma reſponſione &c.* Quo in loco animadvertas velim, quàm ſtatim ille graviſſimè labatur; neque enim *Author Vigiliarum* prædictam ſimilitudinem *ad rem* tantùm *non eſſe* ſcripſit, ſed vel ad rem non eſſe, vel retorqueri poſſe concludit his verbis: *unde ſimilitudo, vel impertinens, vel retorquetur*; atque ita dum primi generis errorem alteri ſtudet objicere, mirum quàm citò in alium quinti generis

Horat. Poſth. pag. 36.

Vigil. pag 462.

ris ipſe incidat. Proſequitur inquiens: *Rationes verò, cur ea ſimilitudo nihil eſſe ad rem dicitur, multæ ſunt falſæ, omnes autem debiles.* Quibus porrò verbis, quid aliud verè agit, quàm ut præceps, ac plenum arrogantiæ judicium, nulla ſuffultum ratione ferendo, in alterum rurſus tertii generis errorem labatur? Tandem addit. *Ne cunctas referam, prima eſt -- quod Pictoribus quidlibet audendi ſemper fuit conceſſa poteſtas, non Medicis -- quaſi verò ille ſimilitudinem iſtam adhibuiſſet ad evincendum, quod Medicis ideo aliquid liceat, quia licet idem Pictoribus; cùm potiùs ad ſenſum ſuum, quod (ut apud ipſum expreſsè videre eſt) ibi jam ſupponebat probatum, dilucidè explicandum, inculcandumque adhibuerit.* At hoc ipſum ſenſum, de quo loquitur *Horatius*, nonne iſtud eſt? *Il credere poi, che la Medicina conſiſta nel ritrovare un nuovo rimedio, e che gl' inventi, quando non portino queſto, non ſiano parte della Medicina, è concetto troppo popolare, e falſo, come ſin' ora ſi ha provato.* Nonne de hoc ipſo Aſſerto ſic ſcripſerat *Auctor Vigiliarum*, videlicet *propoſitio, quæ legitur in principio prædicti paragraphi, non reperitur in noſtris Adverſariis, conſequenter nos non ferit*, quod idem eſt, ac ſi dicatur, *ad rem non eſt?* Hoc autem poſito, quod omni jure ponendum eſt, nonne aliter omnino argumentari *Horatius* debuit, atque inferre, præfatam ſimilitudinem, eo ipſo ad rem non eſſe, quòd ad ſenſum, minimè ad rem faciens explicandum, precisè fuerit adhibita; atque adeò nonne ſeptimi erroris genere, vel hìc quoque peccavit? Ageſis verò & poſtquam illum tres ejuſmodi errores, pauciſſimis tantùm prolatis verbis patraſſe perpendimus, nonnulla etiam addamus, quæ inter ceteras rationes adversùs præfatam ſimilitudinem in *Vigiliis* adductas, eam præcipuè optimam eſſe confirment, quam *Horatius* damnavit, atque ex adverſo infirmam planè eam probent,

Horat. Epiſt. ibid.

Id. ibid.

Oper. Poſthum. pag. 157.

bent, quam in ejuſdem ſimilitudinis favorem idem *Horatius* propoſuit. Comparantur ad invicem eo in loco Pictores, ac Medici, atque illi quidem, quatenus utuntur coloribus, qui unicuique venales proſtant in Officina, ad hiſtoriam, quam volunt, repræſentandam; iſti verò, quatenus ex communi materia medica, deprompta adhibent remedia ad morbos ſanandos. Verùm haud facilè deinde eſt, vel divinando aſſequi rectum hujus comparationis ſenſum, ſeu Italica, ſeu Latina cujuſcunque verſionis verba, mirum in modum contorta, ac implexa, attentiſſimè etiam conſiderentur. Illud tantùm facile eſt animadvertere, Pictoribus ſcilicet multimoda tandem licentia ludere, ſeu hiſtoriam deſignando, ſeu hos vel illos colores uſurpando, ac variè miſcendo, fore conceſsum, quod circa remediorum adminiſtrationem prorsùs negatum eſt Medicis, ac proinde prædictam ſimilitudinem, ſeu paritatem vel ex eo potiſſimùm admitti non poſse, *quod Pictoribus quidlibet audendi ſemper fuerit conceſſa poteſtas, non Medicis.* Præterea plus ſatis negotii eſt Medico cum remediis, quàm Pictori cum coloribus: etenim vel ſine iſtis Picturæ genus non tam monochromatum, quàm monogrammum, Artificis ſui excellentiam, quandocunque iſte voluerit, loquitur, non ſic verò abſque illis præſtare ſe Medicum quiſquam poteſt, quandocunque voluerit; cujus rei non alia eſt cauſa, quàm quia longè diſpar colorum, ac remediorum eſt ratio, vel in ordine ad fines, quos prædictorum Artificum uterque reſpiciunt; nulla quippe coloribus per ſe vis ineſt, qua tabulam pingant, aut hiſtoriam repræſentent, multa autem remediis, qua ſanent; quamobrem licèt colorum ſelectiorum uſus, celebrem non facit Pictorem; uſus tamen ſelectiorum remediorum, aut celebrem, aut [quod magis præſtat quàm vana nominis gloria] ceteris,

ris, ut ajunt, paribus, utilem facit Medicum. Novit id etiam ipſe *Auctor Poſthumus*, viſuſque eſt ſibi ipſi parum conſtare, dum hìc ſpecifica arcana, & perfectiora remedia vulgaribus aliis, ac cuicunque notis poſthabere non dubitavit; alibi verò de ſe ipſo ſcripſit: *Celebriorum Profeſſorum diſcipulos Bononiam pertranſeuntes alloquendo, in rebus Anatomicis, & ſelectioribus remediis erudiri tentabam*; nulla enim hujus rei cura illi eſſe debuerat, cui communis remediorum materia ſufficere poterat, quæ unicuique venalis proſtat in Officina. Sed hæc magis clara ſunt, quàm ut longiori ſermone, probari indigeant. Illud potiùs mirari ſubeſt quàm maximè, quomodo nempe hanc *Horatius* ſimilitudinem, ad ſenſum antea propoſitum dilucidè explicandum, inculcandumque, adhibitam eſſe, pronunciaverit, hoc ſcilicet, *Medicinam non dependere ab inventione novi remedii*. Sanè pro eodem illuſtrando, ſi hæc ipſa rectè adducenda fuiſſet ſimilitudo, eam exemplo Pictorum, quàm maximè niti decuiſſet, non perfectioribus, ſed novis utentium coloribus, ac ne utentium quidem, ſed invenientium, nihil quippe ſimile habent perfectum, & novum; invenire, & inventis uti; adeòque ſenſum propoſitum tantùm abeſt, ut prædicta ſimilitudo illuſtret, quin potiùs confundat, ſic ut malè abſurdèque in hoc ipſo ratiocinio procedens *Horatius*, ſeptimi adhùc generis errorem commiſerit. Oper. Poſthum. pag. 446.

Cùm ergo hucuſque alterum ex duobus expenderim, quæ *Præceptori* immeritò objici *Horatius* dixerat, ac ſe probaturum promiſerat, nunc alterum quoque ſubdam ſeveriori adhuc cenſura dignum, atque his verbis ab ipſo exaratum: *Pariter cum occaſione cujuſdam dicti Ariſtotelis in Diſſertatione de Recentiorum Medicorum ſtudio producti, aliam ejuſdem Philoſophi authoritatem in poſthuma reſponſione pag. 372. adduxiſſet Magiſter tuus*, Epiſtol. Orat. pag. 97.

tuus; ait homo ille in Vigiliis pag. 531. (inſolenti enim, quem præſtat ridere, contemptu, Clariſſimum Virum ita ſemper appellat) *ſe non percipere, quomodo hæc auctoritas illud dictum infringat. Verùm tantùm abeſt, ut Præceptor tuus Auctoritatem hanc ad illud dictum infringendum adduxerit, ut dictum illud extrà omnem controverſiam eſſe, clarè fateatur.* Paucis hìc mihi opus eſt, ut ejus hallucinationem cognoſcas: dictum Ariſtotelis in *Diſſertatione de Recentiorum Medicorum ſtudio* productum hoc fuerat: *Coquus facit ferculum delectabile, Medicus autem utile.* Hoc cùm retuliſſet *Author Poſthumus*, ſtatim addiderat: *quod cùm non ſit controverſum, nec ſuum probet Argumentum, erat derelinquendum.* Itaque dictum illud non eſſe controverſum dicitur, quatenus verba ſonant acceptum; ſed quatenus inſtitutæ quæſtioni accomodatum, ita controverſum eſt, ut nihil magis. Negat ſiquidem *Auctor Poſthumus*, aſſerit verò *noſter*, aptè illud reſpicere ſuum Argumentum, inquiens, *quomodo noſtrum non probat argumentum, dum quotidiè videmus Medicos quàm plures in rebus inutilibus tempus terere?* Quod idem eſt ac ſi dicatur; quomodo *Medicus facit ferculum utile*, quando inutilia ſectatur? Inferiùs poſtea conſiderans aliam Ariſtotelis auctoritatem ab *Auctore Poſthumo* adductam, ex qua concluditur, facile eſſe in Medicina ſalubria cognoſcere, difficile autem, quomodo ad ſanitatem afferendam, & cui, & quando adhibenda hęc ſint, ait, ſe non percipere, *quomodo hæc Auctoritas dictum illud infringat*, in eo, quem innuimus, ſenſu acceptum; ſiquidem omnia ea, quæ in adducta auctoritate difficilia eſſe dicuntur, eò exactè quærere, & pleniùs diſcere, eſt *utile ferculum facere*; ſed num illud minimæ Anatomiæ exhibet menſa, vel culter præbet ad guſtandum facilè? Errat itaque hoc loco *Horatius* extra quæſtionem, ut ſolet, loquendo, at-

que hunc ego errorem, ut & plures alios, verbis tibi cogor innuere, quia inter ſeptem ab eodem *Horatio* enumerata genera, æram non habet, qua deſignetur; rurſuſque errat, quia & in primum, & in quartum ex numeratis incidit.

His tamen ille contentus, & quaſi primam ſui Aſſumpti partem jam ſatis probaſſe ſe putans, alteram ſimiliter probandam aggreditur; *Auctorem* ſcilicet *Vigiliarum* in hunc errorem verè incidiſſe, quem alteri immerito objecerit: ac de *Mantiſſa* quidem *ſubſidiaria* deque plurimis omnino extra rem in eadem traditis circa microſcopii uſum, quædam ſtatim abſque ulla, ut ſolet, ratione petulantiſſimè garrit, quæ ne legi quidem merentur. Mox ſyllabum rerum memorabilium percurrendum proponit, quod ſimiliter fecerat *Terranova* pag. 46., & quaſi magnum inde argumentum pro ſui Aſſerti probatione deſumpturus, quamplura memorat in eodem ſyllabo notata, quæ non niſi ineptè, & abs re, inter res mediocriter etiam memorabiles, collocari contendit. Ex his ego duo tantùm ſeligam, hæc nempe: pag. 666. *Juvenes intelligunt, & referunt ut Juvenes*, & rurſus pag. 685. *Parvuli ſciunt ut parvuli, & referunt ut parvuli*. Sanè diu anceps hæſi, num adversùs ejuſmodi objectionem quicquam reponerem, quando illam ſatis ineptam videri poſſe conſiderem cuicunque Libros, non ſyllabos, æſtimare ſolenti, atque adeò, vel poſtremos iſtos omittere, vel quocunque tandem modo ſcribantur, non curare. Verùm pauca ſaltem hac ipſa de re tibi ſcribere mecum ſtatui, ne fortaſſe ægrè ferres, ſi omnino tacuiſsem. Exactiori itaque diligentia ſyllabum illum ſcribi potuiſſe lubens fateor, quamvis non tam facilè adducar, ut credam ab ipſo *Vigiliarum Auctore* ſcriptum, immo probabiliùs exiſtimem, ne lectum quidem illi fuiſſe, utpotè rem

vix, ac ne vix quidem neceſsariam. Neque contrarium ſatis evincit *Horatius*, ut putat, duobus iſtis ex eodem ſyllabo citatis locis, videlicet pag. 694. *Sodalis meus fuit Antagoniſtę diſcipulus*, & pag. 698. *Urinæ ſimiles a nobis ſunt obſervatæ in nobiſmetipſis*; nam quicumque tandem ſyllabum ſcripſerit, Auctoris perſonam facilè induere debuit. Utcumque tamen res iſta ſe habuerit, incuriæ hujus ratio certè non alia eſse potuit, quàm quæ mox tibi fuit indicata; nec valde refert negligenter agi, quicquid ejus tantùm pretii eſt, ut vel omnino poſſit omitti. Unum tandem hoc addo, videlicet non modò nihil magis obvium eſse obſervare, quàm graviſſimos etiam Auctores, in ſuorum Operum ſyllabis, ea paſſim, ac ad arbitrium notare, quæ utique leviora, ac ne vix quidem memorabilia dicerentur, ſi prȩſertim *Horatium*, ac *Terranovam* haberent Cenſores; verùm pleraque inſuper levia, ac minoris momenti videri poſse, ſi nudè, ac in ſe ipſis ſpectentur, quæ talia poſtea haud ſunt, ſi ad occaſionem, & ſenſum, quo ſuis quȩque ſcripta ſunt locis, referantur. Exemplo eſse poteſt hæc ipſa levis, ac frivola objectio, quam dum ego interim tracto, ſi iiſdem ſupra memoratis formulis utens exclamarem, *quod Juvenes intelligunt ut Juvenes, & Parvuli ſciunt ut parvuli*, deinde ſuum hunc Epiſtolæ ſyllabum adderem, non ineptè illas in eodem ſyllabo notarem, quia etſi fortè minùs memorabiles in ſe ipſis videri poſſint, intelligens tamen ut Juvenis *Terranova*, ſcribenſque hìc loci ut parvulus, ac ut parvulus ſciens *Horatius* memorabiles ipſi fecerunt.

Sed quid dico hìc loci, quando & in pluribus aliis, hunc quaſi ſcopum de induſtria ſibi propoſuiſse videri idem *Horatius* poſſit? Non, ego quæ huc ſpectant, ſingula enumerabo; nam ſic tota fere ejuſdem Epiſtola, mihi demum tranſcribenda hìc foret, ſuſceptum-

que

que interea ordinem deſerere cogerer, quem præſtat omnino promiſſum ſervare. Unum dumtaxat pro cunctis hìc recenſebo, quod proximè ſequitur, quodque ille æquè *ut parvulus refert*, ac *ut parvulus intelligit*, dum ita ſcribit, *pag. enim* 331. (intellige *Vigiliarum*) *poſtquam ſecundùm aliorum ſententias dictum eſt, vapores a certis viſceribus ad Caput elevatos, anilia figmenta eſſe, additur:* „Hæc ex aliorum mente ſint dicta; ſi quis „autem a nobis quæreret, quid pro veritate ſentiendum „ſit de vaporibus, tenemus dicere evaporationes ad ca„put non eſſe ſomnia -- In qua quidem propoſitione, quid potiſſimùm *Horatio* redarguendum videatur, mox mox adducam. Tu interim, Leonarde optime, mecum perpende, quàm frigidè, quàm inſulsè res iſta narretur, cùm porrò ita narrari decuiſſet, ut intelligerent cuncti, *Vigiliarum Auctorem* ibidem refellere propoſitionem quandam *Auctoris Poſthumi*, qua non modò vapores eliminatos fuiſſe a Schola Medica, beneficio ſolertioris Anatomes, docuerat, ſed & eoſdem vapores quaſi ſomnia reputandos innuiſſe viſus fuerat; ſi modò rectum ejuſdem verbis (quo ceteroquin carent) ſenſum quis tribuat. Ducto itaque argumento (cui quàm malè pag. 116. reſpondeat *Horatius* alibi poſtea oſtendam) ex pluribus, quas profert, Veterum Doctorum ſententiis, qui vel diu ſatis ante minimos Anatomiæ labores, Vaporum hypotheſim rejecerunt, eoſque anilia figmenta eſſe tradiderunt, poſtquam primam indicatæ propoſitionis partem *Auctor noſter* confutaſſet, alteram ſimiliter damnaturus, negat ex mente propria vapores eſſe ſomnia. Hujus diſcurſus continuationem, ac progreſſum, abſit ut credam malitiosè *ab Horatio* fuiſſe diſſimulatum, cùm potiùs omnino probabile ſit non intellectum, atque ideo nec bene fuiſſe relatum; quod quidem quarti ſimul, ac quinti generis errorem includit.

Epiſtol. Horat. pag. 68.

dit.

dit. Veritatem hanc ratam fecit, & tantùm non evidenter probavit idem *Horatius*, hoc addens: *quicunque Libros legere ſolet, quorum Auctores ad rem ſcribant, hic ſanè crederet hominem loqui de vera iſtiuſmodi evaporationum exiſtentia, & tamen &c.* Quì fieri poſſit, ut hoc idem *Horatius* non credat, una igitur hęc erit ratio, videlicet quòd Auctores, qui ad rem ſcribant, legere, aut eoſdem ſaltem intelligere, ipſe non ſoleat, nam ceteroquin alia ſuppetit nulla, cùm de vera evaporationum exiſtentia veriſſimè ibidem agatur. Enimverò vapores, ſeu mera figmenta, ſeu mera non eſſe ſomnia dici, quid aliud tandem ſibi vult, quàm rationabilia non deeſſe motiva, quibus aliquis ſuſpicari adhuc poſſit, eoſdem re vera exiſtere? Quæ quidem motiva dum *Auctor noſter* deſumit, & ex halitu, quem in ſe ipſo experitur, & ex eo, quem *Hyppocondriaci Viri, ac Hyſtericæ Mulieres quotidie* ſentire ſe dicunt, rem omnibus obviam narrare, non raram aliquam obſervationem, ut pag. 47. vel ipſe *Terranova* pueriliter jactat, proferre contendit. Præterea & hiſtorias a Galeno relatas, & inſtituta, ad hanc ipſam vaporum exiſtentiam probandam, per ligaturas experimenta memorat (quod totum fortè de induſtria omittit *Horatius* ipſius textum citando) ſic ut tandem tacitè inferat, non fingendo ſaltem, non ſomniando, ſed congruenter ad obſervata phęnomena, & ad inſtituta experimenta philoſophando, admiſſos tandem in ſcholis vapores fuiſſe, atque adhuc fortaſſe, ſi non debere, poſſe ſaltem ſine piaculo admitti. Quanquam enim nec ipſe diſſimulet *convulſiones inchoatas a partibus poſse nobis imponere ſpeciem vaporis &c.* atque ideo (quod quaſi docens *Horatius* tradit) ſolùm dari *ſenſum* illum evaporationis, a parte ad partem aſcendentis; rem tamen uno, vel alio potiùs, ex his modis ſe habere, quis, rogo, ipſi demum

Ho-

Horatio tam confidenter ſcribenti, Apollo narravit? An probabiles quædam ratiunculæ tantùm potuerunt, ut omnem ipſius fidem impetrarent? Sed ne quid nimis facilè. Suis etiam, id genus, oppoſita ſententia non deſtituitur, fortaſsè veriſimilioribus. Vapores certè in rerum natura fictitium quid eſſe, nemo dixerit; In animalium corporibus materia non deeſt, ex qua facilè, immo ſub ipſis fermentationum motibus, quaſi dixerim neceſſariò, generentur. Hæc ipſa animalium corpora, præſertim quamdiu vita fruuntur, miris planè, ac abſconditis modis permeabilia eſſe, probare non oportet, ut ultrò illi, citròque ferri poſſint; nec adeò a veriſimili abhorret, perviam pro tranſitu ſpirituum, fluidique nervei, nervorum ſubſtantiam, eandem poſſe vaporibus interdum patere, viamque illis ſternere, qua a certis partibus in caput ferantur: quare nihil deſiderari videtur ad veram vaporum exiſtentiam firmandam, eorumque doctrinam probabiliter aſſerendam, quod, ut verè voluit *Auctor noſter*, ita veriſſimè non intellexit *Horatius*, hoc ipſo quarti erroris hìc iterum reus. Ad hæc, ſi quis attentè conſideret, quas in Mulieribus, immo & in quibuſdam Viris, effluvia odorifera ſæpe excitant, Turbas, & convulſiva præſertim pathemata, non adeò facilè adducetur, ut credat, hæc ipſa tandem a ſolis olfactorii nervi fibroſis extremitatibus irritatis pendere; cùm longè veriſimiliùs ſit opinari, odoroſi effluvii ſubſtantiam nervos ipſos ſubire, ſpiritibuſque in iiſdem hoſpitantibus, velut peregrinum, ac extraneum corpus immiſceri, a quo illi deinde in tot, ac tantas motuum anomalias rapiantur, quas nec citò, nec facilè, amoto etiam odoroſo corpore, ſæpe compeſcas; id quod pluribus aliàs rationibus, & ſolidis, ni fallor, experimentis tibi ratum faciam. Hoc autem tanquam veriſimili

fal-

ſaltem admiſſo, nulla eſt ratio, cur ſimile quid de vaporibus concipi interdum non poſſit, nec ulla eſt (quod vel unicè in rem noſtram ſufficit) ſolertiſſima quamvis noſtri ſeculi Anatome, quæ hujuſmodi probabilitatem tollat, quando nec aliud doctiſſimorum quorundam Anglorum, durius licèt cogitatum tollere illis viſa eſt, quod glandulæ ſcilicet quædam, ſuccum nutritium nervis miniſtrent, ab extremis eorum finibus, continuato ductu, uſque in Cerebrum deferendum.

Sed his tandem miſſis ad *Horatium* rursùs redeamus, qui poſtquam retulit *Auctorem Poſthumum* de Diabetis curatione verba facientem *commendare res maximè fluidas, & aqueas, quarum ſcilicet copia ſales diluantur*, noſtrum ſic opponentem citat his verbis pag. 337. *hoc opponit*. ,,*Semper accidit, quod medicamentum* ,,*ſub forma ſolida ſumptum, & in primis viis ſubactum* ,,*reddatur fluidum, undè, cùm hoc modo omnia ſint fluida,* ,,*omnia eſſent opportuna remedia, quod eſt ridiculum* — Jam verò facilè animadvertere ipſe poteris, quantum incautis Lectoribus imponant verba illa de *Auctore Vigiliarum* ita prolata pag. 337. *hoc opponit*, ac ſi præter hoc (quod ultro fateor omnium eſſe minimum, ac ut mihi quidem videtur, jocosè potiùs adductum) alia plura, eaque robuſtiſſima, non oppoſuiſset argumenta, quibus impar omnino ſolvendis, ſi ne ea quidem eminus proſpexiſſet, aut ſi in totum, quaſi aliud quid agens, diſſimulaſſet, veniam mereri *Horatius* poterat; ſed quando unum illud adducere, reliquorum verò omnium ne meminiſſe quidem ſuſtinuit, veniam prorſùs demeruit, & quinti ſaltem generis errore peccavit. An non enim quæ de fluidis, & aqueis, quatenus ad diluendos ſales copiosè exhibitis, *Horatius* hìc memorat, nervosè ibidem impugnata fuerant, ſic ut fluida, quatenus fluida, ſeu quatenus a ſolidis contradiſtincta, in-

Horat. Epiſtol. pag. 69.

exa-

examen tandem trahi poſſent, & neque ipſis hoc modo acceptis, jus curandi Diabetem unicè fuiſse reſervatum, oſtendi, cùm plures etiam remediorum ſolidorum formulę, utiliſſimè hactenus in hanc rem fuerint præſcriptæ? Senſit verò dum hoc ageret *Auctor Vigiliarum*, ut plures ſunt, qui cavillandi ſtudio maximè ingenioſi videri amant, ita iſtorum aliquem inveniri potuiſſe, qui ſolida quæque mox dicta remedia, tunc ſolùm eſse proficua reponeret, cùm fluidorum naturam in ſtomacho fuerint adepta: ideòque non aliud fortè voluit, quàm hanc ipſam reſponſionem, ſpecie novi argumenti, ut innuebam, jocosè prȩoccupare, & omnino eſſe ridiculum, quod inde ſequitur, indicare.

Æquè autem ridiculum eſt, quod *Horatius* pergit objicere, ſuperfluè ſcilicet *Auctorem Vigiliarum* laborare, ſenſum hujus propoſitionis: *Pili in utero primordia trahunt*, ad examen revocando, quod in *Operibus Poſthumis*, ſatis ſuperque declaratum noverat. Quid enim ſi regeram tritum illud Juriſtarum, quod hìc utique locum habere poteſt: *Superflua non vitiant?* Hoc tamen interim regerere opus non habeo, ſed *Horatium* tantùm monere, ut quæ ſaltem faciliora ſunt, meliùs intelligere ſtudeat; nam ſic demum percipiet, non eo fine examen illud inſtitui, ut quonam ſenſu propoſitio illa ſit accipienda, exindè definiatur, ſed ut quid novum, quid antiquum, quid verum, quid falſum, ſuo, quaſi dixerim, ventre gerat, eruatur. Utinam verò, & hoc ille eodem utatur monito, ne (quod ſibi malè ominatur) diſpereat, ſi in eas, quas ipſe putat, exclamationes, attonitus non erumpet *Antoninus* ſuus, ubi illum Cȩſalpini locum inſpexerit, a quo *Auctor Vigiliarum* Stenonem docentem, fibram muſcularem a ſanguine actuari pro motu, in hac parte inſtructum fuiſſe, ſcripſit. Non erumpet verò, ſi modò quicquam

plus

plus ſapit, immo deprehendet facilè, vix aliud hic, præter artem quandam ſubeſſe, qua non tam ſibi gratiam, quàm *Auctori Vigiliarum* odium quærere, *Horatius* ſtudeat, hunc nimirùm Stenonis quaſi accuſatorem, prædictique experimenti gloriam, ut aliis tribuere, ita illi ſurripere molientem, ſe verò illius quaſi Aſſertorem, defenſoremque præbendo. Sed quorſum hęc, cùm ne id quidem cogitaſſe prædictus *Auctor* videri unquam potuerit? Quod enim ſcribitur, inſtructum fuiſse a Cęſalpino Stenonem, non aliter intelligendum eſt, quàm circa modum probandi neceſſitatem concurſus ſanguinis ad aliquam actionem animalem peragendam, mediis vaſorum ſanguiferorum ligaturis in vivo Animali adminiſtratis, qui utique modus ibidem a Cęſalpino proponitur, & adducta Ariſtotelis auctoritate illuſtratur. Incaſsùm ergo ſtrepit *Horatius* ſermonem ibi haberi de ſenſu, non de motu, & quidem non in certa parte, ſed in toto corpore ceſsante; non ſi arteria aliqua peculiaris, ſed ſi venæ omnes (quarum tamen nomine arterias ipſas indiſcriminatim veteres deſignaſse, nemo eſt qui ignoret) ad Cerebrum tendentes, ligentur; incaſsùm, inquam, hæc ſtrepit *Horatius*, id tantùm evincere ſtudens, quod evincere non oportet, quodque nec *Auctor Vigiliarum* contendit, experimentum ſcilicet ligandæ arteriæ, quale a Stenone proponitur, non a Cęſalpino fuiſse acceptum, omnino verò id oſtendere negligens, quod unicè ad rem fuerat oſtendiſse, nequaquam ſcilicet indicatum ibi modum genericum fore, probandi per ligaturas vaſorum ſanguiferorum, neceſſitatem concurſus ſanguinis ad aliquam functionem animalem peragendam, ſive illa ſenſus ſit, ſive motus, prout ſupra innuebamus, & prout idem *Auctor noſter*, non tam unicè voluit, quàm unicè voluiſse, luculentiſſimè teſtatus eſt, dum ſi-

ſimul ac ſcripſit *Stenonem docentem fibram muſcularem a ſanguine actuari pro motu, in hac parte inſtructum fuiſſe a Cęſalpino &c.* hoc quoque ſtatim addidit, ubi argumentum *ex ligaturis expreſsè proponitur*, quod manifeſtè declarat ly *inſtructum fuiſſe*, non de experimento dici, ſed tantùm de argumento a ligaturis deſumpto. Ad ſuum itaque errorum genus, rem adeò claram ab *Horatio* non intellectam fuiſſe, dum tu interim facilè referes, aliam ego, quam poſtremo loco, ſub hoc primo genere, adducit objectionem, cæteris adhuc debiliorem, expediam. Narrat ſiquidem *Auctor Vigiliarum*, occaſione plurimarum recentium obſervationum ab *Auctore Poſthumo* enumeratarum, ſcripſiſſe, ſi vellet, ſe poſſe oſtendere *majorem partem prædictarum obſervationum non eſſe Antagoniſtæ*. Mox dictum iſtud tanquam extra rem carpit, inquiens: *Verùm in citato loco, undenam apparet illas obſervationes eſse ab eodem enumeratas, ut pro ſuis habeantur? Utique nec verbum quidem eo in loco occurrit, unde ipſe videri poſſit eaſdem pro ſuis habere: quidquid enim de iſta re ſit, certè in nullum alium finem illas ibidem enumerat, niſi ut multa ſuo ſęculo, quod ipſe, inquit, illuſtrata, inventaque eſse confirmet.* Mitto hìc animadvertere, hoc etiam erroris genere ſæpe *Horatium* peccare, ut ſcilicet *Auctoris ſui* rebus peſſimè conſulat, dum eaſdem patrocinari, tuerique ſe putat. Quid enim, obſecro, efficaciùs probet, extra rem prorſus, ac extra quæſtionem, præfatas obſervationes ab *Auctore Poſthumo* fuiſſe adductas, quàm ſi vel ipſi demum *Horatio* concedatur, quod ſcribit, eas nempe ibidem potiſſimùm adduci, ut multa hoc ſęculo illuſtrata, inventaque eſſe confirmentur; quod, ut nemo in dubium vocaverit, ita nemo ad inſtitutam quæſtionem pertinere cenſuerit. Mitto, inquam, hoc animadvertere, & id quoque jam ipſi *Horatio* faci-

Vigil. præfat. ad Lectorem.

Horat. Epiſtol. pag. 70.

cilè concedo, obſervationes nempe illas, eo in loco non fuiſſe ab *Auctore Poſthumo enumeratas, ut pro ſuis haberentur*. Quid inde ille? *Quæ cùm* (inquit) *ita ſint, poterat ſanè cenſura illa in alium locum differri, cùm in iſto impertinens omnino ſit*. En inſignem porrò, ac memorandam accuſationem, en grandem reatum? ſed an neſcit *Horatius* aliud eſſe, rem aliquam obiter tangere, aliud ex profeſso tractare, & utrumque iſtud, cuicunque tandem Scriptori (modò debitè id agat) non tam in perpetuum licuiſſe, quàm adhuc licere? Eſto itaque potuerit, immo & debuerit, cenſura illa in alium locum differri ex profeſſo tractanda, num ideo non potuit in hoc quoque obiter tangi? Eſto, ut primum fieret, oportuerit *Auctorem Poſthumum* ibidem illas obſervationes enumeraſſe, *ut pro ſuis haberentur*; num ideo hoc etiam requirebatur, ut fieret ſecundum? Eſto denique nulla eſſet, vel iſtud agendi neceſſitas, vel temporis, & loci opportunitas, num ideo induſtriè potiùs, quàm incautè, & non ex inſtituto, ſed per quandam potiùs præteritionem indicari abſonum fuit, potuiſſe demum id agi, niſi prędicta defuiſſent, & quidem non ad ipſum *Auctorem Poſthumum* in hoc loco refellendum, ſed ad animum Lectoris recreandum? Perlege enim, ſi placet, non mutila illa, quæ, quinti erroris genere hìc etiam puniendus, ex *Auctore Vigiliarum* adducit *Horatius* verba, ſed textum integrum, vel integrum ſaltem ejuſdem ſenſum, & invenies, prædictis omnibus, ac ſingulis limitationibus præmiſſis, atque exactiſſimè ſervatis, ſic illum ſcripſiſſe: *Etſi foret tempus opportunum, obiter, & ad recreandum animum Lectoris, quamvis nulla neceſſitas cogat, multa de ſtructura cordis, ejus uſu, ſanguinis circulatione proponeremus, & oſtenderemus majorem partem prædictarum obſervationum non eſſe Antagoniſtę*. Quæ porrò cùm ita ſint, agnoſcet

tan-

tandem *Horatius* vel potiùs cæteri agnoſcent, non quod *Auctor Vigiliarum*, ſed quod ille hìc ſcripſit, omnino impertinens eſſe.

VI. His poſtquam primum errorum genus exegimus, ſecundum modò aggrediamur. Immeritò, inquit *Horatius*, *Authori Poſthumo* alium objeciſſe, *quod aliena pro ſuis vendiderit*, in cujus rei probationem aliquot ex eodem locos producit; in primis verò hunc: *ſi ſpoliaremus Antagoniſtæ opuſcula, & unicuique quod ſuum eſt reſtitueretur, utique ſuccederet quod Corniculæ cum cæteris avibus evenit*. Sed, ut ſolet, occaſionem interim reticet, quæ *Authorem Vigiliarum* quaſi impulit, ut ita ſcriberet: occaſio autem hęc fuit. Pręter alia multa, aſperè in eundem cumulata, ut illud: *ho legitima occaſione di meravigliarmi della poca avvertenza, per non dir malizia del noſtro Autore*, & ibidem paulò poſt, *mi maraviglio della ſtravaganza della ſua idea, e de' ſuoi occhi*; ac rurſus: *volete vedere, ch' egli lavora di fantaſia favoleggiando*, ac denique theologico, quod damnat *Terranova*, argumento utens: *Queſta è un' ingiuria fatta a Dio, e non a me*; præter, inquam, hæc multa, ac alia adhuc plura pag. 167. aſperè & inurbanè in eundem cumulata, hoc etiam ſcripſerat *Author Poſthumus*: *La Latinità, che l' Autore vanta terſa, e di buon ſecolo, è una raccolta di periodi rubati da buoni Autori, concatenata, con uno ſtile, e fraſe per lo più barbara. In queſto paragrafo Seneca vi pone* ,, hoc ,,habent in ſe peſſimum, ut dulcedine quadam remo,,rentur, *l' Entio ò Filoſtrato nella Vita di Appollonio lib.* 4. *cap.* 8. *vi ha la ſua parte* ,, Tantali hortos mihi ,,videor videre, in quibus apparent aliquid eſſe, cùm ,,revera non ſint, *e l' Autore vi pone del ſuo*,, Qui tandem poſt jacturan &c. Cur ergo, *Auctorem Vigiliarum* quaſi increpans, ſcribit *Horatius*: *Totus in eo eſt*,

pag. 78.

Epiſtol. ſuæ pag. 19.

F. 2 *& ex*

& ex profeſſo id inſtituit, ut Præceptorem tuum ex his, quæ ibidem de pilis ſcripſit, merum furem, merum plagiarium fuiſſe oſtendat; non verò id actum priùs ab *Auctore Poſthumo* meminit, *ut merum furem, merum plagiarium* oſtenderet *Vigiliarum Auctorem?* Cur jactæ in hunc accuſationis fundamentum: *La Latinità, che l'Autore vanta terſa &c.* tanquam omnino impertinens, ne dicam falſum, eo argumento, quod nuper propoſuerat, meliori utique jure, non damnavit, cùm ne verbum quidem, vel in citato loco, vel (quod preſſius urget) alibi occurrat, ex quo *Vigiliarum Auctor* videri potuerit id ſibi, ne modeſtè quidem, multò minùs jactanter tribuiſſe? Hæc omnia priùs excutere, hæc *Antoninum ſuum* monere *Horatius* debuit, antequam *Vigiliarum Auctorem*, ſeu criminaretur, ſeu damnaret, ſi modò illi quidquam curæ fuiſſet, ut æquus rerum æſtimator haberetur.

Aſt hæc jam miſſa faciamus, & reliquos *Auctoris Vigiliarum* locos, quorum idem *Horatius* cenſuram hìc agit, percurramus. In primis ergo folliculos quoſdam membranoſos obſervaſſe ſe ſcripſerat *Auctor Poſthumus*, in quibus Pili implantantur, de qua re *Auctor Vigiliarum* hoc tradit, videlicet: *Lectio Pariſani oſtendit furtum*; adductoque ejuſdem Pariſani textu, eundem perpendit, pilos, & dentes hoc habere commune docentem, quòd neutri illorum ex alveolis ſuis, in quibus fixi, & hærentes ſunt, ſine dolore, & continui ſolutione, evelli poſſint: ampliùs verò hoc idem dentibus accidere cogitans, quòd membranoſo, ut Euſtachius docet, exquiſitiſſimi ſenſus corpore (Perioſtium vocant) cingantur; uniformis effectus, uniformem quoque, & in dentium, & in pilorum evulſione, hanc eſſe cauſſam, quòd utrique ſcilicet membranoſo corpore cingantur, ex collatis ad invicem prædictorum Auctorum locis, non obſcurè colligi ſtatuit; quod quidem

Vigil. pag. 505.

mem-

membranoſum corpus, cui hoc acceptum referri oporteat, quòd ut dentes, ita & pili ſine dolore evelli non poſſint, ubi quis intellexerit, illi durum adhuc ſit, ſi non folliculos, ſaltem eoſdem ovales, intelligere, atque hanc ipſorum nomenclaturam deſiderare omnino liceat: neque enim ego (quod ſanctè ſpondeo) litem ullam prorſus movebo, quippe qui non nominum, ſed rerum, earumque præſertim utilium, novitatem, plurimi facere, atque aureæ huic a doctiſſimo Valleſio traditę ſententiæ adſtipulari ſoleam: *Non placet eorum ingenium, qui immutantes verba, gloriantur, quaſi aliquid Arti utile adiecerint*. Et tamen multa ſunt hujus cenſus, quæ nunc, quaſi dixerim, venerabundè coluntur, magnoque cum ſtrepitu celebrantur in ſcholis, ac quorum nos etiam, uti meminiſſe potes, non exiguum olim numerum collegimus, dum noſtra ad invicem miſcere dabatur colloquia. Jam verò, ne ſuaviſſima hæc recordatio aliò prorſus me abripiat, atque a ſuſcepto argumento (quod quidem ſentio quàm facilè poſſet) longè abducat, ad aliud properanter pergo, quod *Horatius* mox ſubdit, videlicet, *Auctorem Poſthumum* de lenta illa materia, quæ pilorum truncis circumhęret, obiter loquentem, alterius furti ab *Auctore Vigiliarum* accuſari, dum hic ſcribit: *Capillis circumhærere lentam materiam Ariſtoteles docuit &c.* Noveris verò in primis hoc omnino eſſe falſum, neque enim *Auctor Vigiliarum* alterum furti in hoc loco accuſat, ſed tantùm ait communia eſſe quæ ſcripſit, idque vel ex eo innuit, quod de ipſo priùs alter ſcripſerat *parum de proprio in ſua Epiſtolari Diſſertatione propoſuiſſe*. Illud quoque animadvertas velim æque falſum eſſe, quod de eodem *Vigiliarum Auctore Horatius* refert his verbis *res omnes quæ ibidem ſcriptæ ſunt* (intellige in Poſthumo Opere, & circa pilos) *ſingulas ſingulis ſuis*

lib. Method. Med. 1. cap. 6.

in-

inventoribus ſe relaturum promiſerat, nam neque hoc unquam promiſit, neque negavit aliqua eſſe eidem *Auctori Poſthumo* referenda, uti ex his ipſius verbis patet: *ex quibus quæ propria, quæ aliena, quæ meliora, quæ nullius roboris conſtant*. Hiſce præmonitis, ea non pauca, quæ idem *Horatius* de re iſta blaterat, in medium afferamus. Primò, itaque ait, textum Ariſtotelis præcitatum non convenire cum textu *Auctoris Poſthumi* ſub his verbis, adducto: *Nonnulli ramoſos putant pilos, & tales delineat Dom. Bidloo, quod tamen non eſt certum. Illud tantùm conſtat, Capillis circumhærere lentam materiam, quæ a loculis glandularum, vel a cute effluens, & ſuper pilos excurrens concreta in globulos, eiſdemque hærens, ſpeciem appendicum, & ramorum inducit*. In primo enim *non de lento hoc humore verba fieri, qui pilorum truncis circumhæret, ſed de illo qui ad eorum occurrit radicem*; ſecùs verò in ſecundo. Aſt ego libenter, ſi poſſem, ita *Horatium* interrogarem. Num putas unum eundemque humorem eſſe, qui modò ad pilorum radices occurrit, modò circumhæret eorundem truncis, vel alium planè illum, ac iſtum? Si geminos eſſe, ac diverſos dicas, longè ab Auctoris tui Doctrina recedis, qui dum hanc ipſam capillis circumhærentem materiam *a loculis glandularum, vel a cute effluere, & ſuper pilos excurrere* docuit, eandem eſſe cum illa, quæ ad pilorum radices occurrit apertiſſimè indicavit. Sin verò & ipſe eandem eſſe exiſtimas, neceſſe eſt etiam fatearis, de eodem humore utrumque textum loqui, & allatam a te diſtinctionem, non humoris, ſed ſitus, quem ille nunc unum, nunc alterum occupat, diverſitatem dumtaxat reſpicere. Hanc ne igitur novam eſſe contendis? hanc ne *obſervationem de eodem lento humore* vocas, & ſimul ac ita vocas, non proponi illam quidem ais, ſed eatenus indicari, quatenus ad com-

pro-

probandam iſtam egregiam, ut tibi videtur, dubitationem, neceſſum eſt, *an fortè alicui concretus ille humor ſpecie ramorum impoſuerit?* Sed qua tandem licentia ſic ludis? Utique & *Antoninum tuum*, & quotquot alios, quibus Epiſtolam tuam communicandi poteſtatem eidem facis, vili nimis loco apud te habes, ſi impunè iiſdem tot quot hìc ſcribis inepta verè, ac futilia, obtrudere poſſe te putas. Scilicet illos uſque adeò hebetes, ac torpidos tibi fingis, ut opus habuerint hanc, quam vocas, obſervationem de lenta materia capillis circumhærente ex *Auctoris Poſthumi* lectione ſibi comparare, quando ne abjectiſſimum quidem ex plebe aliquem eadem fugit, qui vel ſolo capillorum attactu, adhærente iiſdem unctuoſo humore, indumenta ipſa inquinari, ſemel viderit. Quid quod Hippocrates ipſe, ſive alius Auctor Libri de glandulis, expreſsè docuerat, & pilos ex glandulis naſci & *colligere, id quod in extremitates redundat?* Sentio tamen quid regeras, obſervationem nempe hanc, de qua tu loqueris, *non eſſe communem illam, quam rudis ſenſus paſſim oſtendit, ſed aliam, quæ oculis microſcopio armatis obtinetur*. Sed quæſo mihi candidè fatearis, an hìc demum ſeria narras, vel ſubtili hoc dioriſmo ludere adhuc pergis? Eſt ergo aliqua de lento hoc humore obſervatio, quam *rudis ſenſus paſſim oſtendit*, eſt alia, quam oculus ſolus microſcopio armatus? Aſt ego pluries pilos ipſos exquiſitiſſimo microſcopio indagavi, nihilque circa hunc lentum humorem iiſdem adhęrentem, deprehendere potui diverſum ab eo, quod rudi ſenſu attigeram; leves enim eos undequaque, ac glabros, nuſquam verò ramoſos (de humanis tantùm loquor, ſcio enim aliam eſſe, quæ in quorundam animalium pilis occurrit ſtructuram) aut concreti humoris globulis obſitos vidi, quos fortè tanquam diverſæ obſervationis fun-

da-

damentum te habuiſse credideram: facilè autem hanc veniam obtinere me poſſe ſperavero, ut qui ingenio cuique cedere non abnuo, oculis tamen, quos benignæ Naturæ favore exquiſitiſſimos habeo, cum unoquoque certare non dubitem, & meis interim, potiùs quàm alienis, credam. Fac tamen globulos quoſdam capillis interdum hærere, quos ego tunc non offenderim, vel ſaltem videre neſciverim, unde tanta continuò eſſe poteſt fiducia, qua globuli illi ex concreto humore conſtare dicantur. An & hoc quoque microſcopium loquitur? Sanè cùm videam dubitationes intantum tibi placere, ut facilè eas egregias appelles, hanc ipſam ego libentiùs propono, num ſcilicet adhærentia fortè capillis exigua corpora ab extrinſeco ambiente communicata, ſpecie concretorum humoris globulorum, fortè alicui impoſuerint. Huic dubitationi tollendæ microſcopium ipſum par eſſe non potuit: deinde quì credam ego fuiſſe illud adhibitum, cùm nec Auctor obſervationis hoc aſſerat, immo ejus ſcribendi formula planè oppoſitum ſuadeat? *Nonnulli* (inquit) *ramoſos putant pilos, & tales delineat D. Bidloo, quod tamen non eſt certum.* Porro ei, qui adhibito microſcopio diligenter obſervavit, certum eſſe debet num pili verè ramoſi ſint, vel ſecùs. Quod ſi omni tandem adhibita diligentia, certum hoc eſſe non poſſit, neque certum deinde fuerit, quod illud *tantum conſtet, capillis circumhærere lentam materiam, quæ concreta in globulos, eiſdemque hærens, ſpeciem appendicum inducit*. Eadem enim oculorum fide utrumque iſtorum nititur, nec melior uni, quàm alteri ſors eſt, qua illud incertum, hoc verò planè conſtans eſſe aſſeratur; quare & hinc præſtat probabiliter colligere, quidquid tandem hìc ſcribitur, & de ramis pilorum, & de lenta materia in globulos concreſcente, cogitatum potiùs fuiſſe, quàm viſum.

Per-

Pergit *Horatius* poſt hæc, ex inſtituto, oſtendere, *Authorem Vigiliarum in hunc errorem verè incidiße, quem in altero ſine ulla ratione reprehendit*, & quaſdam continuò profert obſervationes, quas, licèt ille pro ſuis habuerit, ex aliorum tamen libris depromptas, ablatas, ſurreptas eſſe, apertiſſimè demonſtraturum ſe ſpondet. Omnium prima eſt de implantatione pilorum ſub cute, eorumque radicatione in pinguedine, quam primùm ſe obſervaſſe, & omnium oculis oſtendiſſe tradit *Auctor Vigiliarum*, occaſione conſuetæ Anatomiæ Bononienſis, ut legere poteris pag. 502. Hanc itaque obſervationem ſcurriliter, potiùs quàm doctè ridens *Horatius*, dum ſcribit: *obſervationem nempe, o Antonine, difficillimam, atque operoſam*, præterea ſubſannat, tanquam *lippis & tonſoribus notam, & ab iis Anatomicis, qui in omnium manibus & tunc verſabantur, & verſantur adhuc* (quod mox indicabam) depromptam, ablatam, ſurreptam. Id verò probaturus eandem obſervationem in geminas dividit, aliam nempe eam faciens, quæ eſt de implantatione pilorum ſub cute, ab ea, quæ eſt de eorundem radicatione in pinguedine: id quod rectè, vel secùs an agat, malè fortè intellecto fundamento innixus, quod res ejuſmodi in *ſyllabo rerum memorabilium* diſtinctè notetur, nolo interim prolixiùs diſputare. Hoc potiùs tibi palam faciam, videlicet, Bauhini, Riolani, ac Columbi, quos in aſſumpti ſui probationem trahit, locos nequaquam ipſum intellexiſſe, adeoque nec prædictorum Doctorum mentem aſſecutum fuiſſe, quòd neglecto meditullio (hoc enim ipſi peculiare eſt, ac ſolemne) corticem tantùm guſtaverit. Bauhinum itaque primùm citat, *qui* (inquit) *in ſuis inſtitutionibus Anatomicis, ubi de capillis &c.* ait, „quod hi a calore moderato protruſi, capitis cutim du„ram, craſſiſſimam, attamen raram perforant, ex quo

tacitè videtur *Horatius* inferre, quod implantentur ſub cute; neque enim a calore moderato protrudi, atque eandem perforare dici poſſent, niſi ſub ipſa implantarentur. Hoc autem quàm longè abſit ab iſtius Doctoris mente haud meliùs patefacere tibi poſſe me puto, quàm ex aliis ejuſdem Doctoris locis, potiſſimùm verò ex lib. 3. cap. 2. ſuæ Anatomiæ, ubi ex profeſſo de capillis, immo de pilis totius corporis agit, ac integram eorum Doctrinam tradit; cujus ego compendium, quantum ad rem noſtram pertinet, oculis tuis ſubjiciam, quò ſic meliùs ferre judicium poſſis. Quatuor ille ad pilorum generationem, atque conſervationem requiri docet, materiam ſcilicet, ex qua generantur, cauſsam efficientem, congruum locum, poſtremò denique alimentum conveniens. Materiam ſtatuit aliam remotam, & aliam proximam, illam quidem, ſuperfluam, quam glandulę abſumere non potuerunt humiditatem, hanc verò fuliginoſum, craſſum, & terreſtrem vaporem, qui *propter actionem caloris elevatur, & poros cutis pertranſit*. Calorem hunc, tanquam cauſsam efficientem agnoſcit; cutim, tanquam locum congruum, ac ipſum tandem mox prænarratum vaporem, quem pro materia generationis habuerat, tanquam conveniens alimentum ſimul ſalutat. Modum verò traditurus, quo ejuſmodi vapor in pilum formetur, ſic ſcribit: *Subindè enim contingit hunc vaporem fuliginoſum, craſſumque in anguſtis ſpiraculis impactum hærere, quare hunc alius rurſus, e profundo ſubiens, prorſum impellit, hunc rurſus alter, atque illum alius, ſicque multi vapores fuliginoſi, alius ſuper alium impacti, tempore complicantur, & conjunguntur, ut unum ejuſmodi corpus efficiant, quale eſt, quod in caminis cernitur, & fuligo dicitur; niſi quod hic vapor fuliginoſus, craſſuſque, quantùm ſpiſſatus eſt, tantùm etiam per tranſitus anguſtiam*

Bauhin. ibid.

Id. ibid.

ſti-

ſtipatus in anguſtam prorsùs formam redactus eſt. Ubi verò tale corpus totum meatum obſtruxerit, deinceps a ſui ſimilibus excrementis, quibus exitus non eſt, violenter ictum totum propellitur, ut jam lori formam adeptum cutim exire cogatur. Ex qua doctrina, quæ a Galeno hauſta, non modò apud Bauhinum, verùm etiam apud alios veteres communiſſimè locum habuit, ſatis conſtare poteſt, quo ſenſu intelligendum ſit, capillos, non eoſdem ſcilicet genitos, ſed ex coacervatis, & intruſis in poros cutis vaporibus, quaſi gigni incipientes, *capitis cutim duram, craſſiſſimam, attamen raram perforare*, ſine hoc, quod implantentur ſub cute, immo cum hoc, quod poris tantùm cutis inſigantur. Vis enim de re iſta luculentiſſimum adhuc Bauhini ipſius teſtimonium proferam? En tibi non unum modò, ſed plura. *Cuilibet* (intellige cutis poro) *pilus mucoſa, albaque radice firmiter hæret;* ita ſuæ Anatomiæ lib. 1. pag. m. 26. Quod *in meatibus, ſeu poris cutis impactum eſt, radici alicujus herbæ in terra hærentis adſimilari poteſt, quod verò ex cute extat, velut ipſi herbæ:* ita lib. 3. pag. m. 494. *Cuilibet poro pilus infixus eſt*, ita ibidem pag. m. 495. Sed quid ego incaſsùm alia? Porro nec aliter Riolano audit, quod membrana carnoſa fundamentum ſit, ac ſeminarium pilorum, in quantum ſcilicet ultimò, ac immediatè ex eadem piliferi, ut ita dicam, vapores in cutem feruntur, nam & ille cæteroquin diſtinguens eorundem pilorum materiam, ait, aliam eſſe *ex qua*, aliam verò *in qua*, ac ut primæ nomine præcitatos vapores, ita ſecundæ cutim, non membranam carnoſam deſignat, a communi exarata doctrina non recedens. Verùm mittamus hos locos, quos licèt *Horatius* Authorum mentem, ut oſtendi, minimè aſſecutus (quarti generis hìc error) adduxerit, non illos tamen, ſed alium tantùm mox ſequentem, tanquam He-

lenam ſuam amplexari viſus eſt. *Volo enim* (inquit) *textum adducere & omnino perſpicuum, & qui omnia complectatur. Itaque in Realdi Columbi de re Anatomica l. 13. c. 2. ubi de pilis loquitur, hæc leges* „ortus eorum „hic eſt; e cute emergunt eam totam perforantes; in „radice craſſiorem pilum, quàm in reliquis partibus „deprehendes, pinguedineque illi affiguntur, quam „inter cutem, membranamque carneam ſitam eſſe di„ximus, præterquam in Scroto: propterea pili alimen„tum e pinguedine trahunt; itaque augeſcunt.„ Tria in hoc textu apertiſſimè contineri ſibi ſuadet *Horatius*, quæ pro ſuis habuiſſe *Author Vigiliarum* viſus fuerit. Primum eſt pilorum implantatio ſub cute, quæ verbis hiſce deſignari creditur: *e cute emergunt eam totam perforantes*; ſecundum eſt, eorundem radicatio in pinguedine, quam proponi pariter aliis hiſce verbis contendit: *pinguedineque illi affiguntur*: tertium denique eſt cogitatum quoddam *Auctoris Vigiliarum* de pilis a pinguedine plurimùm recipientibus, quod exarari itidem ſupponitur ibi; *pili alimentum a pinguedine trahunt*. Jam verò primum iſtorum, quod attinet, quo ſenſu verum nunc ſit, fueritque, jam dudum in Veterum Anatomicorum ſcholis, pilos e cute emergere, eamque totam perforare, ſine ſuppoſita eorundem implantatione ſub cute, Bauhini locum explicans mox ita, indicavi, ut ſuperfluum ſit, de re iſta quidquam addere. Secundum itaque potiùs expendamus, quod quidem, prima ſaltem fronte, incauto cuique Lectori, negotium aliquod faceſſere poſſe videatur. *Pinguedini affiguntur pili*: Rectè ſanè, ſed num ideo in pinguedine radicantur? Cutem quoque ſubjectæ pinguedini affigi, rectè aliquem dicere poſſe quis vetat? Qui tamen haud rectè diceret cutem in pinguedine, ſeu implantari, ſeu radicari? Vide, Leonarde doctiſſime, hominis in-

ingenium, tam vafrè verbis, non modò ludere, ſed & illudere natum. Si hæc ipſa, quæ citat, Realdi Columbi opera attentiùs ille evolviſſet, vel apud eundem Auctorem, aliud eſſe *implantari*, aliud *affigi*, didiciſſet. Sic lib. 13. cap. 1. *extremis digitis* (inquit) *Ungues affixi ſunt*, qui malè dicerentur *implantati*: ſic lib. 8. cap. 3. *Qui* (ideſt nervus) *verſùs caput reflectitur, & tracheæ lateribus adhæret, in laryngis cavitatem ſe ſe inſinuat, & in glottida implantatur tandem*; paulò verò inferiùs: *deſcendit Oeſophago affixum uſque &c.* Sic lib. 7. *qui poſteriore parte ad torcular affigitur*. Poſtquam itaque ex his ſatis intelligere potes, an adducti loci ad rem faciant, & an benè fuerint intellecti (quæ duo ad primum, & quartum errorum genus pertinent) jam & aliquid de prænarrato cogitato in medium adducamus; Unico autem intuitu, quarti ejuſdem erroris genere, hìc quoque *Horatium* turpiter labi facilè deprehendes, ſi quo ſenſu *pilos a pinguedine plurimùm recipere in Vigiliis* traditum fuerit, vel leviter perpendas, expreſsè enim pag. 509., ita res iſta explicatur, ut iidem pili, ductus eſſe excretorii aſſerantur, per quorum cavitatem halitus pingues, & unctuoſi feruntur; quod quantùm diſtet ab altero cogitato de pilis a pinguedine alimentum trahentibus, is ſolùm non videt, qui nihil videt.

Pergit poſt hæc *Horatius* in *Authorem Vigiliarum* invehi quaſi obiter, quòd univerſalibus, ut ipſe ait, verbis, implicitèque, ac generatim, non expreſsè, ac diſtinctè, ſæpe multa deſignet, quæ aliquando docuiſſe videri poſſit, continuòque nonnulla hìc in ipſum jacit, quæ, ut phraſi interim *Terranovæ* utar, *os ipſius petulantiſſimum* verè teſtentur, *& ceu prodigioſæ inſolentiæ portentum, digito monſtrari valeant*. Non his tamen ego ſuccenſeo, quippe iram riſus temperat, dum quaſdam,

quas

quas ille hìc obiter ſubdit, animadverſiones lego in Lovveri Tractatum de Corde, quarum unam ſaltem ſilentio præterire non poſſum, reliquarum verò omnium (miraberis certè, puto, quàm gravium, quàm utilium) penes te judicium eſto. Arguitur Lovverus *quòd in ea figura, in qua cordis oſtia delineat &c. ex ſiniſtri ventriculi oſtiis, neutrum in debito eſt loco, cùm Aortæ quidem oſtium, oſtii Auriculæ ſiniſtræ occupet locum, & viciſſim.* Scilicet hic ipſe Lovverus, *Vir alioquin* (ut idem *Horatius* fatetur) *ſumma laude & veneratione digniſſimus*, poſt tot, ac tantos, circa cordis ſtructuram, exantlatos labores, ne hoc quidem ſciviſſe putandus eſt, quo ſcilicet loco, unumquodque ſiniſtri orificii oſtium, ſtatuendum foret, ſic ut tanti correctoris animadverſione indigeret? Quæ fides verbis Virum extollentibus, de quo tam miſerè ſentit, quemque, afficta eidem hujuſmodi inſcitia, expreſsè adeò contemnit, ut vel ipſis Tyronibus poſthabeat, quorum nemo tam rudis præſumi poteſt, ut id ipſum ignoret? Verùm, ne mireris, Leonarde, nam ſæpe hoc evenit, ut quorum animos arctiori fędere amicitia conjungit, illis eadem vitia, eædemque virtutes placeant; quare cùm de *Auctore Vigiliarum* ſcripſerit *Terranova*, *ne ipſum quidem uteri ſitum &c.* mirum non eſt, de alio quoque prænarrato famigeratiſſimo Viro, quid ſimile *Horatium* ſcripſiſſe, vel abſque eo, quod illi ſuppeteret, ſi modò id factum (quippe ne adduci quidem potui, ut inſpicerem) in ipſum potiùs rei Anatomicæ imperitum delineatorem, quàm in citatum præſtantiſſimum Virum conjiciendam hanc culpam fuiſſe. Illud verò magis ridendum, quod has ipſas, *quæ meliùs latuiſſent*, animadverſiones, ut ederet, amicorum *conſilia, vota, preces* adjunctas meminit, quas tamen ipſe audire noluerit, *ut nempe ſuum illud de aliorum libris, aut benè, aut nihil*

Terran. Epiſtol. pag. 29.

Orat. Epiſtol. pag. 79.

hil dicendi inſtitutum ſequeretur, quod utique magis, ut vides, politicum eſt, quàm philoſophicum. Veritatem quærunt ingenui quique, ac literati homines, atque ultrò poſcunt errores ſuos ipſis monſtrari, quoties honeſtè id fiat, ac intra *morales criticæ regulas*, de quibus abundè Auctor ſæpius citatus. Cur enim ægrè illi ferant, quod philoſophiæ, quod ſcientiis omnibus, quod publicæ intereſt utilitati? Turpis ſanè aſſertatio eſt, de aliorum libris *aut benè, aut nihil dicere*, ſi modò aliquid dicere poſſis, quod in commune bonum cedat; nam, quemadmodum rectè monemur apud Ballonium: *videndum eſſe non quis dicat, ſed quid dicatur, ut ad normam rationis omnia dirigantur*, ita unicè æſtimandum eſt, non quis ſcribat, aut contra quem ſcribat, ſed quid ſcribatur; circa quod ſanè inſtitutum ſcrupuloſiorem eſse *Horatium* decebat, potiùs quàm circa aliud ſibi propoſitum, *de aliorum libris, aut benè, aut nihil dicendi*. In annot. ad Conſtitut. 2. lib. 1. Epid. & Ephem.

Hæc poſtquam diſseruit, actum, quem ſibi finxit, de hoſte triumphum, non modò quaſi ovans iterum memorat, ſed & novos meditatur, inquiens: *reliquum eſt, ut aliquot alia - ejuſdem furta producam. Affirmat igitur in præfatione* pag. 36. „ſe primùm in meatu auditorio, vidiſse fontes ceruminis glanduloſos.„ Mox hujus rei certos, ac idoneos teſtes adducendos fuiſse, quamvis innuat, contentum tamen fore ſe dicit, incerto hoc, quo *Author Vigiliarum* uti ſoleat, teſtimonio: *De his fontibus* „latiſſimè verba fecimus in noſtra Anatome publica, Anno Domini 1673.„ niſi undecim annis ante iſtam Anatomen Nicolaus Steno ſcripſiſset *glanduloſam carnem, in meatu aurium externo, cartilaginem inter, & cutim ſe offerre, flavumque iſtum ex illis glandulis, excerni ſuccum*. Pauca hìc ego. Cur teſtes adducere oportuit? An ut *Horatii* fides impetraretur? Horat. Epiſt. pag. 79.

Sed

Sed de hac nulla eſſe poterat ſolicitudo. An ut aliorum? Sed neque hanc quærit, cui conſtat ſua. Hoc apparatu indigent qui inventis hiſce gloriantur, quique inanem ex ipſis famam quærunt, non qui minime eadem faciunt pro Medicina, vel quibus ſatis eſt vera ſcripſiſſe. Non ego interim video, ut neque *Horatius* videt, quomodo iſta repugnent *ſe primùm vidiſſe fontes ceruminis glanduloſos*, & de iis verba feciſſe Anno 1673., undecimo ſcilicet poſt ſimilem evulgatam a Stenone obſervationem: quippe jam non eodem anno, quo de iiſdem fontibus verba facta fuiſſe dicuntur, ſimul hi primùm obſervati affirmantur, adeò ut ſtare non poſſit, vel ante Stenonem compertos fuiſſe, ac viſos, licèt non niſi longè poſt editum ipſius Stenonis ſcriptum, publicæ Anatomiæ ſplendida oblata occaſione, de iiſdem inciderit tractatio. Quod verò addit *Horatius*: *quod quando ſimiles aſſertiones valerent,*
Ibid. *liberum eſſet cuicunque nova aliorum inventa ſibi arrogare*, jam in eum Virum cadere non poteſt, qui, ut mox innuebam, ſatis ſuis ſcriptis prodidit, alium omninò ſibi eſſe genium, quàm ut minutioris Anatomes laboribus clareſcere ſtudeat, & vel ſibi, vel aliis quantumcumque poſſit, hoc titulo commendari. Neque præterea facilè quiſquam crediderit, ea arte, qua, vel ipſo fatente *Horatio*, liceret omnia, ſeu ſaltem plura, voluiſſe *Authorem Vigiliarum* hoc unum tantùm inventum ſibi arrogare, tunc etiam quando de re iſta maximè fuiſſet ſolicitus. Aſt heu me incautum, ac rudem, qui hujuſmodi argumentum protuli, priuſquam ex ipſo *Horatio* legerem alia quoque ſibi arrogaſſe, præcipuè verò duo hæc, quæ ille mox ſubdit; alterum quidem ex *Vigil.* pag. 61. *Cum microſcopio nobis innotuerint vaſa ſanguinea diſtributa per Marſupia membranoſa figurarum diverſarum pinguedinem aſſervantia &c.*

al-

alterum verò, ex pag. 81. *Ex alia obſervatione facta in lingua Vitulina cocta, a nobis deprehenditur aliud corpus diſtinctum a muſculari ſubſtantia linguæ, e quo prodeunt corpuſcula papillaria*: duo, inquam, hęc ſibi arrogaſſe, quæ verè *Malpighii* ſint. Sed quomodo ſibi arrogavit? Scripſit ne alicubi, hęc primùm ſe obſervaſſe? Certè nullibi; ſed obſervaſſe dumtaxat ſe ſcripſit. Quæ ergo illius culpa? Quòd dicat, ſe aliqua deprehendiſſe, ac microſcopio obſervaſſe, quæ fortè alteri ante ipſum innotuerint? At per Deos immortales rogo, ſi quod hìc piaculum eſt, quis noſtrum inſons fuerit? Num ergo luſtrandis Naturæ operibus manum admovere non licebit, niſi ut nova detegamus; ad ea verò, quæ alii viderint, aut cęcutiamus, aut ſi quando obſervaverimus, eadem tamen a nobis obſervata, ac deprehenſa, ne dicere quidem audeamus? Fac tamen hęc ipſa nemini licere, quæ certè omnibus licent, num putas, Leonarde doctiſſime, juſtè propterea accuſatum fuiſſe *Vigiliarum Auctorem*, quòd inventa prædicta ſibi arrogare voluerit? Non ego ſanè de diſtributione vaſorum ſanguiferorum per Marſupia membranoſa [quæ prima obſervatio eſt, ſed levior] quidquam dicam; ſed de alia tantùm facta in lingua Vitulina, ex qua deprehenſum fuiſſe traditur *aliud corpus diſtinctum a muſculari ſubſtantia linguæ*, hoc unum te monebo, videlicet, non niſi, aut incautè admodum, aut malitioſè (præſtat primum potiùs credere, quàm ſecundum) potuiſſe *Horatium* ſuſpicari, quòd ejus inventionem ſibi tribuere quæſiverit *Auctor Vigiliarum*. Hic quippe in eodem citato loco, una vix linea interjecta, docens prædictum corpus eſſe tendinoſæ naturę, citat Du Hamel, & Burgundos, qui de tali corpore hoc idem crediderunt; tantum abeſt, ut rei Auctor videri velit, quam & iſtis compertam ultrò ille ac apertiſſimè pro-

dit. Quidni ergo præceps omnino hoc *Horatii* judicium vocem, ac tertii generis errorum nota deſignem, quemadmodum & de alio ſubſequenti idem quoque mihi faciendum eſſe jam ſentio? Cùm enim duobus adductis *Vigil.* locis, fibras muſculares choroidis, Uveę, & proceſsus ciliaris, minimoſque muſculos, ad oculi, & iſtarum partium compoſitionem concurrentes ſæpius ſe obſervaſse, ac primùm etiam detexiſſe, ſcribentem notet *Authorem*, continuò novum furti crimen in ipſum jacit, & ex aliis Bartholini, Drelincurtii, ac Bohnii locis, muſcularem prædictarum partium conſtitutionem expreſsè referentibus, totum confeciſſe ſe putat, quod ad reum iſtum damnandum confici oportuerit. Aſt, Dii boni, quid agi unquam præcipitantiùs potuit? Hærendum tantiſper fuerat, donec ſaltem promiſſam *Ophtalmoſcopiam* ſuam *Auctor* edidiſſet, ac fibras illas muſculares, minimoſque muſculos a ſe detectos, deſcripſiſſet, noviſque (quod promiſerat) figuris demonſtraſset, ut æqua tandem de re iſta ſententia ferri poſset, & num ille novi aliquid, & longè ſupra vulgatas, ex præfatis Authoribus productas, obſervationes poſitum protuliſset, decerni. Quis enim, non & hoc pacto Lovverum arguere potuiſset, ſi quando muſcularem cordis fabricam ſe primùm obſervaſſe ſcripſiſſet, antequam ſuum de corde tractatum in lucem emitteret, eo quòd ſcilicet cor eſſe muſculum Hippocrates ipſe jam dudum docuiſset? Aliud eſt genericam partis alicujus conſtitutionem, & naturam, aliud verò ſpecialem ejuſdem contextum, & fabricam indicare, atque adamuſſim deſcribere. Hinc, quemadmodum Hippocraticum dogma obſtare non potuit, quin veræ cordis fabricæ, verus, ac primus inventor, jure merito habitus fuerit Lovverus, ita adducta paucorum Doctorum teſtimonia nunquam obſtabunt, quin

ve-

verus, ac primus prædictarum partium ſtructuræ obſervator habendus ſit ille, qui minimos muſculos, ad earum compoſitionem concurrentes, deſcribere, & novis figuris demonſtrare potuerit. Quod verò hìc additur de tubi optici paritate ab aliis adducta, ad hæc *Authoris Vigiliarum* verba corripienda: *apparebit oculum moveri inſtar tubi optici*, id ſanè medullis nimiùm ferventibus prolatum eſt, cùm ne verbum quidem extet, ex quo deduci poſſit videri ipſum voluiſſe rem novam hìc proponere, potiùs quàm antiquam confirmare, atque ampliùs illuſtrare. Non abſimile poſtremò judicium ferendum de ſententia quadam circa cauſsas lactificationis, quam a Bibliothecæ Anatomicæ Collectoribus Anno 1685. propoſitam, atque ideo omnibus jam communem, contendit *Horatius* ab *Authore Vigiliarum* de Anno 1696. *in prima Scepſi*, pro conjectura propria fuiſse exhibitam. Etenim, ſi locus citatus *in Opuſculis* pag. 339. inſpiciatur, apparebit ſententiam prædictam, non de ſolis cauſſis lactificationis, verùm, & quidem præcipuè, de cauſſis oviformis conceptus in utero, proponi ſub his verbis: *Auderem conjicere ſemen eſſe menſtruum quoddam, ſanguinariam homæomeriam diſponens ad oviformem conceptum in utero, vel cornibus, & ſucceſſive &c.* de quo, cùm ne verbum quidem fecerint præfati Collectores Bibliothecæ Anatomicæ, jam ſatis patet conjecturam hac in parte allatam, nequaquam illis deberi.

VII. His ergo ſatis oſtendimus in hunc tertii generis errorem, qui præceps de re aliqua judicium ferendo committitur, *Horatium* ipſum non ſemel quidem incidiſse, vel antequam de more conquerens, quòd hunc eundem errorem *Poſthumo Authori*, *Vigil. Auctor* objiciſset, ſubindè hanc culpam verè in hunc conjicere aggrederetur. Primum itaque ut probet,

textum hunc ex *Vigil. pag. 6.* adducit: *Inter glandulas conglomeratas, nonne quædam reperiuntur, quæ proprio excretorio vaſe privantur, ut thymus, lienares (ſi quæ ſint) ad plexum &c. quamvis de Hepate cap. 5. Antagoniſta ſcripſerit, hoc eſſe glandulis conglomeratis ſolemne "ut proprio excretorio vaſe polleant?"* In primis autem id obſerves velim, Antagoniſtam hìc non de præcipitantia, ſed ad ſummum de contradictione accuſari. Secundò non benè defendi per hanc *Horatii* rationem, videlicet: *at ego [ne ad alias modò rationes digrediar] ſolemne eſſe pro ſolitum eſſe, non verò pro perpetuum eſſe, & accipi, & eſſe accipiendum putabam: neque profectò eo in loco opus eſt aliter explicare Præceptoris tui mentem &c.* Nam ut nihil dicam de ſignificatione hujus vocis *ſolemne*, quæ conſuetum quidem importat, ſed ſæpe tamen immutabile, adeòque vel ipſis Juriſconſultis *ſolennitates* & *verba ſolennia* dicuntur, quæ publicè inſtituta ſunt, & neceſſariò ſervari debent, vel in jurejurando, vel in paciſcendo, vel in fœdere feriendo, ut, inquam, nihil dicam de hujus vocis acceptione, certè illud falſum videtur, quod opus non ſit eo in loco aliter explicare *Poſthumi Auctoris* mentem, ac *Horatius* fecerit. Siquidem ſi textum inſpicias, poſtquam ipſe ſcripſit *conglomeratis glandulis hoc eſſe ſolemne ut proprio excretorio vaſe polleant*, invenies hoc inſuper addi, nempe, *quod inductione -- firmare poſſumus*. Cùm autem inductio ſit argumentatio neceſſariò comprehendens omnium particularium enumerationem, liquidò patet nullam glandulam conglomeratam ab hac ipſa enumeratione excludi poſſe: vel, ſi aliqua excludatur, confeſtim id eſſe falſum, quod nimirum inductione probari poſſit conglomeratis glandulis eſſe *ſolenne* quod proprio vaſe excretorio polleant. Tertiò demum ineptiſſimè de præcipitantia argui

Horat. Epiſtol. pag. 81.

gui

qui *AuctoremVigiliarum*, quòd ſcripſerit *Thymum*, & *ſuccenturiatos renes* „proprio excretorio vaſe privari,, Horat. Epiſtol. pag. 82.
eadem ſcilicet præcipitantia, qua aliquis, antequam innoteſceret an Pancreaticus ductus revera exiſteret, nec ne, Pancreas proprio ductu carere pronunciaviſſet. Aſt ego ſanè non video quomodo de præcipitantia accuſari potuiſſet, qui ſic pronunciaſset, & qui, incomperto adhuc exiſtente præfato ductu, eodem Pancreas carere dixiſſet; nam quis quæſo crimen objiciat, rem aliquam prout ſub aſpectum cadit narranti, etiamſi ſortè non ea omnia primùm exhibeat, quæ in ipſa ſunt? Immo mihi ſanè laudandus ille fuiſſet, qui ſibi hoc modo comperta narraſſet. Porrò ſi ratio hæc adducta ab *Horatio* valeret, jam & omnes hujus ſęculi Anatomici de præcipitantia argui poſſent, dum ſcribunt conglobatas glandulas vaſe excretorio proprio privari. Quem enim mihi dabit *Horatius* fidejuſſorem, quòd aliquando ſimile vas a glandula aliqua conglobata diſcedens, inveniri non poſſit? atque eodem pacto præceps eſſet narratio de numero valvularum cordis, cùm fieri aliquando poſſit, ut comperta nova valvula, numerus ille augeatur, atque ita de aliis multis: quæ tamen omnia ridicula ſunt. Verùm & illud ridiculum Horat.
magis, quòd *prædicari in quid, prædicationem genericam* Epiſt. ibid.
in quid, ac ſimiles alias loquendi formulas, *ſuam* [hoc eſt *Vigiliarum Auctoris*] *logicam Barbariem*, *Horatius* appellet: nam, ſi quæ demum Barbaries hæc ſit, non *ſua*, ſed clariſſimorum philoſophantium, Theologorum, aliorumque ſapientum erit, qui, ut cenſuram iſtam ſecuri deſpicient, ita naſutulum nimis, ac delicatulum hominem dicent, qui hęc ſolus faſtidiat. Hoc quidem probabunt, quod deinde tradit *Horatius*, interdum nempe terminos communes *accomodè* accipi; Horat.
atque id, ſi ab ullis fit, ſæpe fieri a Medicis; libenter Epiſt. ibid.
enim hoc totis, ut ajunt, ulnis nos etiam amplectimur:

mur: neque nobis concedi poſtulamus, quod quaſi petentibus *Horatius* ipſe concedit, ſcilicet *Medicorum verba omnia ſeverè, & rigidè accipi oportere*; quinimmo hac ipſa conceſſione rejecta, omnes fermè, quas in *Authorem Vigiliarum* mox ille congerit, objectiones ſponte ruunt, nobiſque eas recenſendi laborem perbellè adimunt.

Horat. Epiſtol. pag. 85.

Unum hoc potiùs concedi petimus, & jure quidem æquiſſimo, terminos ſcilicet communes, eo ipſo quod interdum *accomodè*, interdum etiam, vel ab ipſis Medicis *rigorosè* uſurpari: ac utro tandem ex his modis in diverſis caſibus accipiantur, ex ſola rei narratione ſæpe integrum eſſe ſtatuere. Eò itaque collimat *Horatii* in hoc loco querela, ut improbè egiſſe *Authorem Vigiliarum* velit, dum terminos iſtos *procedere a priori, prædicere a priori, deducere a priori &c.* in *Poſthumorum Operum* lectione, ita interpretatus eſt, ac ſi progreſſum non tantùm probabilem, ſed demonſtrativum, ſed geometricum, ſed mathematicum importarent: quod & infra deinde pluries exaggerat. Quæ duo ſaltem poſtrema, quantùm abſint ab *Authoris noſtri* mente facilè quiſque fatebitur, qui quantum interſit inter phyſicam, & geometricam demonſtrationem, cum *Horatio* ipſo, non ignoraverit. Ego interim etſi eo, quo par eſt, venerationis loco *Authoris Poſthumi* nomen ſemper habuerim, non eò tamen adducor, ut credam eum ita ſibi, quo ad rem præſentem, conſtaſſe, ut Hippocraticum illud ex *primo de diæta* allatum, vel in ſe ipſum non admiſerit, videlicet: *Ineſt autem homini alia dicere, alia facere, & eundem non eſſe eundem, & nunc aliam habere mentem, nunc rurſus aliam*, & ut nulla pro *Authore Vigiliarum* ſtet ratio, qua ipſum arguere ſine injuria potuerit, quod *Vir ille, qui omnia probabiliter ſemper de-*

Horat. Epiſtol. pag. 83.

Horat. Epiſt. ibid.

du-

duxerat, repentè omnia in hac ſua reſponſione, deducere audet demonſtrativè, modò ly *omnia* juxta *Horatii* regulam hìc quoque ſumatur, non *rigidè*, non *ſeverè*, ſed *accomodè*, & juxta citatum ab eodem Cardani textum, *cùm dico nullam, aut omnem, intelligo modo medico non geometrico &c.* Age verò, & priuſquam ex tribus adductis terminis, geminos hos ponderemus, *procedere* ſcilicet *a priori*, *deducere a priori*, tertium hunc tantiſper animadvertamus, nempe *prædicere a priori*. Nam & hujus hanc eſse apud *Authorem Poſthumum* ſignificationem *Horatius* contendit, ut non niſi *prædictionem per rationis adminiculum, & cauſarum conſiderationem a rationalibus Medicis habitam notet*. Quid verò ſi ex ejuſdem *Authoris Poſthumi* mente ego tibi luculentiſſimè oſtendam, Medicorum prędictiones omnes, omne (& quidem *ſeverè*, ac *rigidè*, non *accomodè*) rationis adminiculum, ſive demonſtrativum, ſive tantùm probabile excludere? An non indè ſequetur vel malè *Horatium Authoris ſui* mentem explicaſse (qui quinti generis error eſt) vel hunc ſibi perpetuò (quod mox innuebam) quo ad rem iſtam non conſtaſse? Lege ergo *reſponſionem ad Galeniſtarum Triumphum*, & invenies hæc in eadem exarari: *Li precetti, e le regole del predire dipendono non da diſcorſi, e progreſſi razionali, ma dalla ſola oſservazione più volte ſperimentata, ſenza renderne ragione, come per lo più fa l' iſteſſo Ippocrate, onde queſta parte può ſtare con gli Empirici, Metodici, & altre Sette, anzi da queſti nacque, & ebbe li ſuoi natali per le Coacche, & altre ſomiglianti propoſizioni, che al ſentire di alcuni, furono raccolte dalle Tavole appeſe nel Tempio di Eſculapio, là portate dal Popolo, che prima di ogn' uno oſſervate le aveva, o almeno erano precetti oſſervati da' Predeceſſori d' Ippocrate, che furono Empirici, dati finalmente in luce da Teſſalo figlio d' Ippocrate, e ſe le regole del ben predire*

Horat. Epiſtol. pag. 83.

dire ricercaſſero neceſſariamente diſcorſi razionali, non potriano mai aver l'uſo, nè verificarſi in mano degli Empirici; e pur Celſo famoſiſſimo Empirico, nel libro ſecondo, ſi dichiara voler pigliare da Ippocrate i ſegni prognoſtici, & è probabile, che sì grand' uomo conoſceſſe &c. Hæc ideo prolixiùs adducere volui, non modò ut hinc pateat *Horatii* hallucinatio circa hunc terminum, verùm etiam, ut obiter ipſe colligas quod de regulis prædicendi ſtatuitur in propoſita auctoritate, illud idem, & eodem prorſus fundamento, de medendi regulis dicendum videri, cùm nullum ſuppetat efficax diſcrimen, quo de illis aliter, ac de iſtis ſentire cogamur. Ubi enim ſemel conceſserimus prædicendi artem, quæ nec ipſa cęca eſt, aut temeraria, ſed ſuas habet limitationes, & præcepta, quæ perſpicax æquè ingenium, ac accuratum judicium deſiderant; ubi, inquam, ſemel conceſserimus hanc ſolis obſervationibus, ſecluſo quocunque rationalium Medicorum diſcurſu, niti, quid vetat hoc idem aſserere de arte medendi, ſine hoc, quod propterea eandem, quaſi temerariam, & cęcam, & periculoſam conſtituere dicamur? Immo utinam diligenter hujus quoque limitationes, ac præcepta colligeremus, eiſque in dies augendis, ac locupletandis, quam aliis ſtudiis fruſtrà impendimus operam, in hoc totam collocaremus, nullus ſanè dubito, quin ægrotantium rebus meliùs conſultum ſic foret. Hoc idem faſſus eſt *Author Poſthumus* in *reſponſione ad Galeniſtarum triumphum*, ſub his verbis: *Qui l' Oppoſitore confonde gli Empirici co' Saltimbanchi. La ſcuola degli Empirici nacque in Sicilia, e viſſe glorioſa, e più numeroſa de' Razionali. Piaceſſe a Dio, che in molti, e molti Razionali ſi poteſſero cancellar dalla mente que' principj, e progreſſi falſi, che dalle ſcuole, e libri hanno appreſo, i quali ſervono poi di motivo, e di*

gui.

guida nell' operare, & *in cambio di eſſi, ſe li poneſſe una gran pazienza, diligenza, e giudizio, per oſſervar ciò, che moſtra la quotidiana ſperienza, che ſon certo, che più ſicuro, e men fallace ſarebbe l' operar loro*, quo quid dici potuit (ut hoc quoque obiter animadvertam) *Authoris Vigiliarum* dictis, veritate ipſa confeſſionem extorquente, conformiùs? Porrò cęca magis ars eſt, quò magis iſta contemnuntur, & dum ingenii aciem in Philoſophiæ faſtum intendimus, plus quàm in noſtræ artis opera, utiliores ejuſdem fructus ſæpe non tam perdimus, quàm corrumpimus. Hoc illud idem eſt, quod Bacconis Verulamii auctoritate confirmavimus ſupra, quodque in medicorum conſultationibus ſæpe nimis uſu venit, ut ſcilicet, ex frivola quadam ratiuncula, non ſine gravi ſupercilio prolata, aut probatorum remediorum uſus excludatur, aut, ſi quis contradicere voluerit, pertinaces rixę, quarum, ut in diſputationibus fieri ſolet, nullus ſit finis, quæque non rarò in ſcandalum, ac in mutua abeant odia, excitentur. Noſti quàm vera narrem, Leonarde, nam & plures memini te mihi olim narraſſe caſus, in quibus hæc ipſa tibi contigerunt: adversùs quæ vix aliud præſtare potuiſti, quàm ut miſeros ægrotantes, perditæ hujus Theoriæ licentiæ, dirutæque exinde Praxis, pœnas daturos, ex animo doleres. Ut uno verbo dicam, nulla res eſt in Medicina, quæ gravioribus malis ſæpe nos implicet, quàm procedere *a priori*; hoc eſt a rationibus theoricis, ad experientiam: cùm contra omnino ſit procedendum, præcipuè verò, ſi progreſſus ille a priori ſit tantùm probabilis, ſeu veriſimilis, & conjecturalis, qui nihil concludit, ſæpe verò plurimùm nocet: Ab incerta enim, & obſcura cauſſa, ad evidentem, & certum effectum peſſimè arguitur, cùm omnis argumentatio procedere debeat a notiori ad ignotius. In-

culcat hoc dogma vel ipſe Hippocrates in lib. de præceptionibus, inquiens: *Tempus eſt, in quo occaſio eſt, occaſio verò, in qua tempus non multum. Medela tempore, aliquando etiam occaſione contingit. Hæc ſanè noſſe oportet, & non ratiocinationi probabili priùs intentum, curam aggredi, ſed exercitationi cum ratione.* Ne cui autem dubium ſit, de qua ratione loquatur, rem protinus clariùs ſic explicat. *Ratiocinatio enim memoria quædam eſt, quæ componit ea, quæ per ſenſum ſunt percepta*, & hæc vere eſt ratiocinatio Empiricorum; non eorum, quos ita vocat ignarum vulgus, ſed eorum quidem, quos cum Agyrtis confundi, vel ipſe *Author Poſthumus* loco nuper citato ægrè tulit; quorum ſcholam floruiſſe glorioſam teſtatus eſt, ac quorum denique numero Celſum adſcripſit, huncque ſimul jure merito Virum magnum appellavit. Quidquid enim garriat *Horatius* pag. 120., hos Empiricos damnaſſe debuit in ſua reſponſione *Author Poſthumus*, non circulatores, non agyrtas, non circumforaneos (quis enim iſtos non damnet?) cum quibus *Authori Vigiliarum*, quem refellere in animo habebat, nihil unquam rei fuit, ſed alios ſolùm mox dictos, eorumque præcepta ſectatus eſt. Hos verò, licèt ſuis progreſſibus utantur, & ratione non careant, & ſuum habeant ſiſtema, falſum tamen eſt uti progreſſibus *a priori*, quemadmodum unicuique, ejuſdem ſectæ dogmatis vel leviter imbuto, apertiſſimè patet. Si quid tamen in re iſta video, danda aliqua *Horatio* venia eſt, utpote qui ſpecioſo Rationalium titulo miſerè deceptus, putaverit hos vere ſolos eſſe, qui ratione uterentur, reliquos verò, quaſi mente captos, abſque ullo diſcurſu procedere; perperam interim non diſtinguens, omnes quidem ratione uti, ſed hos una, illos verò alia: &, ut clariùs dicam, hos ratione medica, & practicis ob-

ſer-

ſervationibus immerſa, illos verò ratione philoſophica abſtracta, & occultarum cauſsarum conſiderationi innixa, quas ſibi potiùs fingat quiſque, quàm attingat. Et ne ab Hippocratis præcitato textu diſcedamus, audi quid, & quàm graviter vel ipſe ad rem noſtram decernat, inquiens. *Senſus autem perpeſſus jam delegator eſt eorum, quæ ſubjacent, ac obveniunt ad ipſam cogitationem. Qui verò ſenſus ſæpe mala perpeſſus eſt, & ſuſcepit, quibus, quando, qualiter læſus ſit obſervans, & in ſe ipſum reponens, recordatur. Collaudo quidem igitur etiam ratiocinationem, ſi quidem ex fortuita occaſione initium faciat, & delationem in morbum ex apparentibus perſequatur. Si enim ex his, quæ palam perficiuntur, ratiocinatio initium fecerit, in mentis potentia eſſe competitur, ita ut ipſa ab aliis ſingula aſſumat. Proinde ſtatuendum eſt Naturam a multis, & omnigenis rebus moveri, ac doceri, ita ut violentia quædam ſubſit. Mens autem, ubi ab ipſa accepit, ad veritatem perducit. Si verò non ex evidenti aggreſſione, verùm ex probabili rationis figmento, ſæpe gravem, & moleſtam invehit affectionem. Tales autem, inviam viam arripiunt*: Et paulò infra iterum inculcat. *At his, quæ ex ſola ratione perficiuntur, frui non datur; verùm his, quæ ex operis indicatione; fallax enim eſt, & ad errorem proclivis affirmatio, quæ fit cum garrulitate. Quapropter in univerſum, his quæ fiunt inhærere oportet, & circa hęc vel maximè verſari, ſi quis facilem, ac minimè delinquentem habitum, quem ſanè medicinam appellamus, ſibi comparare volet. Valde enim magnam utilitatem afferet, tum ægrotantibus tum horum artificibus. Non tamen cunctandum eſt, & ab idiotis inquirere, ſi quid conferre viſum fuerit ad curationis occaſionem; ſic enim arbitror univerſam artem commonſtratam eſſe, eò quòd ex unoquoque fine obſervatio facta eſt, & conſonantia in idem concurrerit.*

rit. Porrò ex his luculenter ſatis apparet, quanti fecerit Hippocrates probabilem illum *a priori* rationis progreſſum, quo noſtri tantopere ſibi placent, quemque ipſe non rationem, ſed *figmentum rationis* appellavit. Id, quod prolixiùs aliquantiſper tetigi, quia in tota fere *Horatiana Epiſtola* vix aliud invenies, quod præterea queſtionem ab *Authore Vigiliarum* inſtitutam *ad diſtinguendum Studium Anatomicum* (ut in ipſo diſſertationis hujus limine monui) *& ad praxim medicam dirigendam*, ne tantillum quidem reſpiciat. Neque verò, quod dici ſolet, manum de tabula priùs auferam, quàm & quaſdam frivolas omninò objectiones ad Anatomię utilitatem pro uſu Praxis comprobandam, hìc quoque ab *Horatio* productas, & malè intellectis, tametſi centies explicatis, viri concluſionibus, perperam ſuperſtructas, diluam.

Jam ergo cùm ſatis oſtenderim, quod *prædicere a priori* [tametſi non *rigidè*, ſed *accomodè* terminus iſte ſumatur] nullum habet locum in Arte Medica, vel ex *Poſthumi* ipſius *Authoris* mente, cùmque inſuper *deductionem*, *&* *progreſſum a priori* non demonſtrativum quidem, non certum, ſed probabilem tantùm, & conjecturalem, qualem ſupra *Horatio* conceſſi, & inutilem eſſe, & noxium patefecerim, reliquum eſt, ut id quoque innuam, *Auctorem* videlicet *Poſthumum*, non ubique terminum iſtum *procedere a priori accomodè*, ut vult *Horatius*, ſed ſæpius *rigidè* adeò, *ſeverèque* accipere viſum fuiſſe, ut juſtus fuerit *Authori Vigiliarum* cenſurę locus. Cui ſanè rei non multum laboris impendam, cùm ſatis ſit ex *Poſthuma reſponſione*, ſi non omnia, nonnulla ſaltem colligere, atque in medium proferre, quæ id abundè apertèque demonſtrent. Sic pagina 110. ejuſdem reſponſionis, hæc leges: *L' uomo eſaminando queſte parti con l' Anotomia, con la Filoſo-*

fia,

ſia, e con la mecanica (& loquitur de funiculis, filamentis, trabibus, vectibus, telis, fluidis, ciſternis, canalibus, filtris, cribris, & ſimilibus machinis, ex quibus humanum corpus compingi ait) *ſi è impoſſeſſato della ſtruttura, e dell' uſo di eſſe, e procedendo anche a priori, è arrivato a formarne modelli, con li quali pone ſotto l' occhio la cauſalità di quell' effetto, e ne rende la ragione a priori &c.*

Hìc animadvertas velim, quando etiam vera eſſet expoſita narratio, nullum exinde lumen pro Medicina facienda, ſed philoſophicum dumtaxat, ac æthiologicum productum iri, de quo tantùm abeſt ut ulla ſit quæſtio, quin potiùs ab *Authore Vigiliarum* non ſemel id, ſed pluries conceſſum fuerit, nec propterea (quod iterum miror) ab hujuſmodi æquivocatione per Adverſarios ceſſatum eſt unquam. Præterea machinarum prædictarum, tametſi exactiſſimè cognita foret, ut ſupponitur, non tam ſtructura, quàm uſus, adhuc nulla morborum interna cauſſa exinde pateret; horum quippe, ut & vitæ, ſubjectum tantùm paſſivum illæ ſunt; radix verò, & efficiens principium hæret in fluidis, & impetum facientibus, adeòque non niſi effectus rationem habet quidquid manifeſtatur in ſolidis. Sed quod ad rem noſtram maximè facit, illud eſt, quod adductis verbis exprimitur: *L' uomo eſaminando queſte parti -- ſi è impoſſeſſato della ſtruttura, e dell' uſo di eſſe*. Vos autem, Dii boni, quorum præſcripto iſta nos latent, ſemperque latebunt, vos, inquam, noviſtis quàm vera hæc ſint. Novit id quoque, præter alios multos præclariſſimos Viros, celeberrimus noſtra ætate Lucas Tozzi in ſuis Hippocratis Aphoriſmorum Commentariis Tom. 4. pag. 33. editionis Neapolitanæ Anni 1703. dum ſcripſit. *Quare quæ, & qualis revera ſit completa humani corporis fabrica, & oeconomica compages, ſemper*

ſem-

ſemperque in poſterum ambigere erit , ut nec poſt mille ſæcula ſciatur exactè . Quam quidem Viri tam celebris, ac in tam celebri ſchola educati auctoritatem eò libentiùs hìc memoro, quia ibidem loci , nonnulla ille ſtatim attexit de infido microſcopiorum uſu , & de obſervationibus eorundem ope peractis, prorsùs ſuſpectis habendis , quæ cùm ſatis conformia iis ſint , quæ *Auctor Vigiliarum* de ejuſmodi argumento ſcripſit , id ſaltem præſtare poterunt, ut videlicet vel ab iſto calumniam arceant, qua fortè non tam ex veritate, quàm *ex voluntate , atque animo* eadem ſcripſiſſe, aſſuetus dicere poſſit *Horatius*, vel ut impiam, impudentemque hujus criminis accuſationem in præcitatum quoque Virum clariſſimum conjiciant. Age modò , & iſta quoque *Reſponſionis Poſthumæ* verba ſuperiùs adducta perpendamus; *e procedendo anche a priori , è arrivato a formarne modelli &c.* Num verò putas tu Typos iſtos, quos ille ait, cum Archetypo ſuo convenire? Ego certè tantum intereſſe diſcriminis inter utroſque crediderim, quantum inter ſcenicum Aquilæ volatum , & verum; nec qui propterea noverit illum fingere, hunc quoque apprimè callere , & ejuſdem *a priori* rationem afferre poſſe confeſtim dicendus eſt. Volabat Architæ Columba, ſi fides habenda narrantibus, ſed num ideo iiſdem, quibus veræ Columbæ organis ad volandum inſtructam fuiſſe, eorumque apparatum ex ſolertiori ejuſdem Anatome didiciſſe Architam credamus ? Fac tamen hoc totum ita eveniſſe, num idem fuit inertia cæteroquin organa movens, & actuans principium , cujus vel ſola mutata indole tot motuum Anomaliæ , ut in viventibus corporibus, exurgerent, non ad organa ipſa referendæ? num ſanguinem quoque , & cæteros humores artefactæ huic Columbæ indidit ? num Chyli ad ipſos reparandos conficiendi artem edocuit? vel

ideo

ideo hoc facere omiſit, quia in ipſis quoque animantibus nauci habenda hæc forent? Eadem fere petere de ſtatua humana circulatoria Reiſelii quiſque poterit, cujus quoque mentionem hìc ingerit *Auctor Poſthumus*, inquiens: *La Natura nell' economia ſi ſerve neceſſariamente d' officine per la cozione, filtrazione, precipitazione, e dulcorazione de i ſughi, e queſte per lo più ſono glandole; di qui ne naſce, che il Medico ammaeſtrato nelle mecaniche arriva francamente a conoſcere la triturazione, che ſi fa nello ſtomaco, mediante le fibre carnee, & un' acqua forte ſeparata dal fluido univerſale con la ſtruttura del ventricolo glandoloſo, la dolcificazione del chilo negl' inteſtini per la miſtura della bile, e la filtrazione fatta nelle glandole de i reni, a tal ſegno, che il Reiſelio ne ha compoſta una macchina, colla quale moſtra tutte le ſuddette operazioni, e fenomeni.* At vel iſta *Malpighii* non ſunt, vel [quod pace tanti Viri dictum velim] ceu bonus quandoque Homerus, ita dormitabat & ille, dum ſcriberet. Ex ipſius Authoris ſui verbis hujuſmodi ſtatuam apud Bonetum magnificè deſcriptam lego, ſed phænomena tamen prædicta, coctionem nempe, filtrationem, præcipitationem, & dulcorationem ſuccorum exhibentem non lego, nec crederem, ſi legerem. Quid quod iſtis admiſſis, ingens abſurdum colligeretur, ſanguineum nempe liquorem, ad illa munera præſtanda nullatenus fore neceſſarium, cùm perinde futurum eſſet, ſi ſola aqua, ut in hac ſtatua, ita in homine, cæteriſque animantibus venæ, ac arteriæ implerentur, ſicque hujus argumentationis *a priori* inſignis tandem, raroque pretio æſtimandus hic eſſet fructus. Proſequamur adducti primi textus examen, eidemque adhuc alia adnectamus, ex quibus *Auctor Poſthumus* doctrinæ ſuæ veritatem evidenter putat confirmari: *è arrivato a formarne modelli, con li qua-*

quali pone ſotto l' occhio la cauſalità di quell' effetto, e ne rende la ragione a priori, e con la ſerie di queſte ajutato dal diſcorſo, intendendo il modo dell' operare della Natura, fonda la fiſiologia, e patologia, e ſucceſſivamente l' arte della Medicina. Prova evidente di ciò è la Camera ottica, nella quale il Matematico produce tutti quegli effetti, che nello ſtato ſano, e morboſo dell' Animale ſi oſſervano nella viſta, moſtrando a priori la neceſſità di quegli effetti, che dalla varietà della figura della lente, e dalla troppa lontananza, ò vicinanza delle parti ſuccedono, ſicchè il modo di vedere, e le ſue leſioni con la cognizione della macchina fatta dall' Uomo analoga all' occhio ſono dimoſtrate. Mitto nunc inquirere, an iſtorum omnium effectuum cauſæ phyſicè ſaltem ſint demonſtratæ(cùm vel illud adhuc occultum eſſe ſciam, quare nimirum radius luminoſus a medio rariori impingens in denſius,ea ſemper lege refrangatur,ut radius refractus ad perpendicularem accedat, contra verò dum a medio denſiori impingit in rarius, eam ſemper refractionem patiatur, quæ a perpendiculari dicitur, quidquid conetur Carteſius phęnomeni iſtius cauſſam ex majori,quo lumen pollet motu, dum medium denſius, quàm dum rarius percurrit, deducere) & an quidquam phyſico, nedum clinico interſit geometricas prædictorum effectuum demonſtrationes noſſe, quos ſola ſatis oſtendit experientia, & oculi cum Camera optica inſtituta comparatio, ſive analogiſmus; mitto, inquam, hoc inquirere, ſed abſolutè nego viſionis lęſæ cauſſas, quæ ad clinicum ſpectant, hinc ſatis demonſtrari: ſive enim mutatam chryſtallini humoris (qui lentis vicem gerit) figuram, ſive majorem quàm deceat ejuſdem approximationem, aut diſtantiam a fundo Retinæ, ſive aliam hujuſmodi cauſſam, in hoc, vel illo morboſæ viſionis ſtatu accuſes, modus iſte intelligendi,

di, quamvis amænus, & curioſus, nullum dabit modum curandi utilem, & adhuc alia indaganda cauſſa, quæ talem mutationem induxerit, non verò ſimpliciter in variatam diſtantiam, aut mutatam figuram, reſpiciendum fuerit: cùm utraque iſtarum, effectus potiùs rationem habeant, atque ideo remedium nullum directè, & per ſe indicent, ſed indirectè tantùm, ratione nimirum cauſſarum, a quibus dependent, quæque fere ſemper in fluidis oculum perluentibus primariò, in ſolidis verò ejuſdem partibus aliquibus ſecundariò hærent, nulla arte, nulloque ingenio demonſtrabiles.

Sed jam pauca hæc attuliſſe ſufficiat, ex quibus facilè videas docuiſſe revera *Authorem Poſthumum* ſtructuram, & uſum partium (loquor de iis quas ipſe allegavit in textu) nunc ab homine teneri, modumque operandi Naturæ intelligi; præcipuorum effectuum, quos in viventibus obſervamus, cauſalitates ſub oculos poni: triturationem alimentorum in ſtomacho, ipſamque ſuccorum dulcorationem in inteſtinis, & filtrationem in glandulis expeditè adeò, clarèque cognoſci, ut jam in Typos, ac Modulos præfata omnia exprimentes, ars ipſa Naturam transferre potuerit; modum denique, quo fiat viſio, quove morboſè lædatur (ne alia plura his ſimilia retexam, quæ ipſe habet) jam ope Cameræ opticæ a Mathematicis eſſe *demonſtratum*. Quandocumque per otium licuerit, cum præfatis hiſce conferas tu, quæ plurima ille habet in *reſponſione ad Galeniſtarum triumphum*, ubi ex profeſſo Concluſiones iſtas impugnat, videlicet quod *Medicina non ſit conjecturalis*, quod *ſit Scientia*, quod *rerum ſuarum, licèt non omnium, omnimodam habeat certitudinem*, ac rurſus expendas quàm dubitativè ſemper in omnibus ſuis operibus loquatur (cuncta enim hìc adducere nec lu-

bet, nec licet) eòque, puto, vel ipſe adduceris ut credas Virum hunc, dum *Poſthumam reſponſionem* ſcriberet, longè profectò ab eo mutatum, qui priùs fuerat. Sed jam de hoc nimis.

Nunc paucas alias, quæ ad inſtitutam quæſtionem magis pertinent, *Authoris Vigiliarum* propoſitiones (quod nuper promiſimus) expendamus; has enim non ſemel, ſed pluries, & lato, rotundoque ore, quaſi omnino præcipitanter ſcriptas, de ſua interim ipſe præcipitantia minimè ſolicitus, non ſatis poteſt *Horatius* damnare. Propoſitiones quidem hę ſunt. Prima, quæ habetur *Vigiliarum* pag. 353. *Semper negarem tot ſuppoſita inventa* (enumeraverat verò antea ex Recentiorum multa) *quot ſunt deſcripta, & alia plura Medicinæ practicæ inſervire*. Secunda, quæ habetur pag. 137. *Obſervationes Regneri de Graaf, Antonii Nuch, Nicolai Stenonis, Antonii Leeuvvenhoeck, Gliſſonii, VVarthoni, Ruyſchii, Jo. van Horne, Svvamerdamii, Peyeri, & aliorum multorum Philoſophiam naturalem illuſtrant, non praxim Medicam*. Tertia, quæ legitur in Opuſc. pag. 84. *Multi, & multi lapſi ſunt anni, quibus floruerunt Falloppius, Veſalius, Euſtachius, Caſſerius, Fabritius, & alii ęternùm memorandi Anatomici, qui ſuis laboribus, & obſervationibus rem Anatomicam locupletarunt, & nihilominus Praxis Medica, tot annorum curſu, nihil profecit — & tamen tempore præterito non colligebantur minutiæ*; Quarta demum, quæ extat pag. 568. *Nemo poterit dubitare de alia propoſitione, quam nos propoſuimus, videlicet Anatomiam minimam non eſſe neceſſariam ad medendum, immo neque craſſiorem*. Has ergo propoſitiones, poſtquam præcipitanter ſcriptas appellavit *Horatius*, negavitque ſe ullam adducturum rationem, cur ita appellaverit, audi quibus argumentis, & quàm nervosè convellat. *Quis enim ignorat* (inquit ille) *ut alia omnia præ-*

Horat. Epiſtol. pag. 90.

prætermittam, num ante Harveum (quod ipſe ait) religioſior ille in phlebotomia inſtituenda venarum delectus a clinicis exploſus fuerit; an verò potiùs ſolicitos eoſdem habuerit, & quandoque etiam, ſaltem per accidens, ægros malè mulctaverit, uſque ad evulgatam non ſolùm, ſed ſub oculis, & manibus jam poſitam ſanguinis circulationem? Cui argumento animadvertens & ipſe quàm facilè reponi id poſſet, quod *Author Vigiliarum* indicaverat, plures nempe veteres illum ipſum venarum delectum multò ante Harveum expunxiſſe, ſtatim ſubdit: *Omnes tamen vident aliud eſſe probabili aliqua ad ſummum ratione aliquam rem indicari, quæ a Medicis communiter non acceptetur; aliud verò eandem rem per evidentem, & quæ non tantùm ſuadeat, ſed cogat, rationem patefieri, atque adeò a Medicis communiter acceptari, & in uſu poni.* Quaſi verò longè magis ex aliis rationibus, & præcipuè ex ipſa vaſorum connexione, & propagationis modo, potiùs quàm ex ſanguinis circulatione, delectum venarum non cogeremur excludere, ſi modò nomine delectus venarum intelligat *Horatius* electionem potiùs unius, quàm alterius rami ab eodem trunco diſcedentis, v. g. baſilicæ, cephalicæ, medianæ &c. non verò electionem loci dextri, vel ſiniſtri, ſuperioris, vel inferioris, propinqui, vel remoti, quæ poſt inventam ſanguinis circulationem adhuc conſtans manet, & nullo pacto explodenda, prout ſaniorum Practicorum luculentiſſimæ obſervationes teſtantur, quas operę pretium non eſt, ut in medium hìc proferam. Quid enim cum re iſta ſanguinis circulationi? Non ego quidem negaverim veteres aliquos (quos mihi tueri ſcopus non eſt) huic errori nimis indulſiſſe, ſed illud quidem negaverim, eos nempe ita lapſos fuiſſe, quia ſanguinis circulationem ignoraverint, cujus cognitio pro hoc errore explodendo, ac funditus

Horat. Epiſtol. pag. 91.

etiam evertendo nequaquam eſt neceſſaria. Addit Ductus Thoracici, & Ductuum ſalivalium ſitum *verè & ex toto deſcriptum practicis inſervire poſſe*, hoc fundamento, *quod modò, ſi per vulnus Thoraci inflictum candidum laticem profundi obſervemus, quid de ægro futurum ſit & cognoſcere, & prædicere poſſumus: quod aliàs ignoraſſemus; aut quod, ſi chirurgicum ferrum genis fortè ſit admovendum, optimè nunc ſcimus, quale ſpatium vulnerare impunè queamus, qualemque tractum, & quantum ſine turpiſſimæ fiſtulæ periculo ferro incidere non poſſimus.* Ambæ iſtæ rationes ſunt ita miſeræ, ut vix quicquam habeant, quòd imaginationi potiùs, quàm intellectui deberi non videantur. Memoratus caſus profuſi liquoris candidi ex vulnere thoraci inflicto, omnino certè imaginarius eſt, ſi de ejuſmodi vulnere intelligatur, quod ferro in intimum ipſius Thoracis ſinum profundiùs adacto, excitatum fuerit. Ut enim vel ipſum thoracicum ductum exindè fortè ſauciari contingat, cùm tamen plura ſimul alia, & ſanguifera, & lymphatica vaſa neceſſe ſit eodem fato tunc premi, iſtorum omnium rivuli in unum tandem alveum confluent, qui lacteo ſanè colore non diffluet, ut obvium eſt cuicunque concipere: Sin autem de vulnere non abſque conſilio (quod in Paracenteſi fieri ſolet) Thoraci ipſi inflicto, atque extimum tantùm ejuſdem aggerem pervadente (quod tamen meminiſſe *Horatius* debuit) prænarratus caſus audiendus ſit; quid quæſo, ejuſdem prognoſi adjiciet effuſi laticis candor, aut quale ignorandum aliàs remedium iſte indicabit? Num eadem quæ hydropis pectoris Prognoſis non fuerit, aut ſi quid habebit diverſum, id ſaltem ethiologicum non erit, potiùs quàm practicum? Num ideo, qui optimè noverit Chirurgus, inſtituendam eſſe Thoracis Paracenteſin, ut periclitanti ægro quoquo modo, ſuccur-

Horat. Epiſtol. pag. 91.

ra-

ratur (ſi tamen ea arte fieri id poſſit) noverit ſimul, vel ante ipſius Paracenteſis adminiſtrationem, abſque præmiſſo prognoſtico certè nunquam celebrandam, candidum potiùs, quàm alterius coloris laticem ex inflicto vulnere fore educendum? Num minoris neceſſitatis eſt pro Oeconomiæ Animalis regimine contineri intra propria vaſa lympham, quàm chylum; aut num iſte quandoque cum urinis effluxiſſe viſus non eſt, ſalva ductus thoracici integritate, ſic ut ſimile quidpiam accidiſſe ſuſpicari non poſſemus, quando etiam Thoracis cavitas candido latice plena inveniretur? Ejuſdem ſanè ponderis eſt & aliud argumentum, quod ex cognito ſalivalium ductuum ſitu depromitur, quem *verè & ex toto* a Recentioribus deſcriptum *Horatius* innuit. Primò enim ſi *ly verè & ex toto* ita accipiatur, ut ſpartam hanc, quaſi ex integro, Recentiores ipſos adornaſſe velimus, id quidem apertiſſimè falſum eſt: quandoquidem Ductus iidem ſalivales, licèt non omnes, & Galeno, & Avicennæ, & Haly innotuerunt, prout ex Carpo in Mundinum colligitur, adnotante etiam Diemerbroeck: Si verò *ly verè & ex toto* ita potiùs accipiatur, ut prædictorum ſalivalium ductuum hiſtoriæ jam a veteribus traditæ, tum per exactiorem eorundem deſcriptionem, tum per novorum conſimilium ductuum inventionem, plenum, perfectumque *ex toto* complementum additum eſſe contendatur, quis tertii generis errorem, incautam ſcilicet præcipitantiam, omnino hìc ſubeſſe non dicet? cùm fieri poſſit ut novi in dies ductus inveniantur, qui & illum genarum tractum perreptent, quem impunè vulnerari poſſe *Horatius* dictitat. Nondum, ut puto, excidiſſe tibi id potuit, quod ſupra adnotavi, *Authorem* ſcilicet *Vigiliarum*, ex ipſius *Horatii* judicio præcipitantiæ damnatum, quòd ſcripſerit Thymum, & ſuccenturiatos renes *proprio excreto-*

rio

rio vaſe privari, neque alia ratione id factum, quàm quia ſimiliter damnandus ille fuiſſe videretur, qui *antequam innoteſceret an pancreaticus ductus revera exiſteret, nec ne, Pancreas proprio ductu carere pronunciaviſset*. Porrò cenſuræ huic ineptæ, & ridiculæ ibidem locum non fuiſſe ſatis oſtendi; cùm de præſenti ſtatu ageretur, juxtà quem privari Thymum & renes ſuccenturiatos proprio vaſe excretorio idem eſt, ac vas tale excretorium nondum fuiſſe inventum, nulla interim cogitatione in ſpem futuri conjecta, ut neque eadem excluſa. Sed qui prædictam cenſuram tam facilè effutire *Horatius* potuit, mirum quidem eſt, quomodo eadem cenſura verè hìc caſtigandum ſe offerat, dum ductuum ſalivalium ſitum, *verè, & ex toto deſcriptum* pronunciat, quo & ipſam ulterioris complementi, novæque aliquando futuræ additionis ſpem abjicit, nec abjicit modò, ſed extrudit.

Horat. Epiſtol. pag. 82.

Nunc poſtquam hæc obiter, ac primò tetigimus, conſideremus ſecundò adductæ objectionis pondus, quatenus ad rem noſtram pertinet. Pauci jam lapſi ſunt anni, ex quibus Ductus ſalivales *verè, & ex toto* deſcripti ſunt, ut cum *Horatio* loquamur; plurimorum verò ſeculorum ætatem jam gerit Praxis Medica, quæ infinitis propemodum experimentis crevit: Centies, ac millies vulneratæ interim genæ, ac inciſæ non ſatis docere potuerunt *qualem, quantumque tractum vulnerare impunè queamus, abſque turpiſſimæ fiſtulæ periculo?* tardèque adeò humani generis miſerta ſunt Numina, ut beneficium iſtud a ductuum ſalivalium ſitu *verè & ex toto* deſcripto, in hæc uſque tempora cogerent expectare? Iſta ſi quis credat, faciliùs multò perſuadere ſibi poterit, aliam nunc eſſe ab ea, quæ olim fuit, humani corporis ſtructuram, & ſalivales ductus noſtris hiſce temporibus, non quidem detectos, ſed de novo productos fuiſſe, aut nuperrimè ſaltem ſitum mutaſſe.

taſſe. Cur enim, ſi eadem ſtructura, ſi idem ſitus, jam non eadem, quæ olim obſerventur, dum chirurgicum ferrum genis admovetur? Aut ſi eadem, cur hæc poſtremis dumtaxat hiſce temporibus didicimus? Cæterùm & illud concedamus, prænarratum ſcilicet beneficium noſtræ huic tantummodò ætati propitia verè numina reſervaſſe: Conquerendum adhuc nobis fuerit, quod adeò in incerto poſuerint, & lubricum fecerint. Quis enim neſcit quàm ſæpe variet Natura in vaſorum quorumcunque diſtributione, ac ſitu? Ubi verò ipſa ſic varia fuerit, nonne & traditum præceptum eruet? Fac tamen neque ipſam variare, neque præceptum erruere, atque interim contingat tumor, qui ferro aperiri expoſcat in eo ipſo genæ loco, cui ferrum, audito etiam *Horatio*, impunè admoveri non poſſit. Quid tunc nobis erit agendum? Num propter fiſtulæ metum tumoris ſectio erit omittenda? Indicatur hæc a Natura tumoris, & ab ejus loco determinatur, non verò a ſalivalium ductuum ſitu; ac proinde, ubicunque fuerit tumor eandem expoſcens, ibidem eam inſtituere oportebit. Nec obſtare poterit metus fiſtulæ, quæ ab ipſa ſectione non inducitur, ſed vel ſponte rumpi permiſſum tumorem, longè deterior, nec ſine graviorum ſymptomatum præcurrente agmine conſequitur. Quamquam nec vera ſæpe fiſtula eſt, quęcunque ſalivalium ductuum inciſio, vulnere aliquo inducta, & ex qua limpidæ aquæ copia jugiter, & ad longum tempus emanat: nam hujuſmodi affectionis curatio non ſemel remediis abſoluta eſt veræ aliàs fiſtulæ imparibus: quod obſervavit inter cæteros Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, atque his verbis ſcriptum reliquit: *Aliud quoque experientia a me comprobatum eſt in genarum vulneribus, nam quotieſcunque vulnera propè aures contingant, glutinantur modo propoſito,* Hieron. Fabric. ab Aquapen. in Append. lib. 2.

ſito, ſed versùs aurem foraminulum anguſtiſſimum vix oculis conſpicuum apparet, per quod, potiſſimùm ubi Patientes mandunt, tanta copia exit limpidæ aquę, quæ eſt veluti lacryma ab oculis emiſſa, & durat aliquando unum, aliquando duos menſes. Undè & quomodo effluat, ego certè neſcio: ſed ad exſiccandam illam copioſam humiditatem uſus ſum linteis madefactis in aqua thermali Aponenſi, vel Cerato ex oxelæo, vel ſacro, & hujuſmodi valenter exſiccantibus. Hæc præfatus Author, vel multò ante ſalivalium ductuum Stenonianum inventum, quo licèt docti fuerimus *undè & quomodo* limpida illa aqua *effluat* (id quod Fabricius, ſe neſcire faſſus eſt) hoc tamen curioſitati potiùs conducit, quàm praxi, quæ vel abſque hujuſmodi cognitione, finem ſuum feliciſſimè adepta eſt. Similem quoque obſervationem tradidit Paræus lib. 9. cap. 25. operum Chirurgicorum his verbis: *Intra paucos dies vulnus agglutinatum eſt, niſi quod ad genæ inferioris cum ſuperiore commiſſuram, exiguum quoddam foramen reſtabat, quod vix aciculæ caput admittebat, ex quo nihilominus ſeroſa & tenuis humiditas, illi præſertim loquenti, vel mandenti manabat: quod ego & in multis aliis obſervavi. Sed ſiſtendæ illius aquoſæ humiditatis ergo, aquam fortem Chymiſtarum in ulceris profundum inſtillavi, aliquoties vitrioli combuſti pulviſculum immiſi. Hac cura Dei beneficio convaluit.* Sic & citatus ſupra Diemerbroeck, aquoſi ac limpidi humoris effluxum, a læſo ſalivali ductu tunc temporis adhuc ignoto, procul dubio manantem, ac integram vulneris genæ inflicti conſolidationem, exiguo relicto foramine, jam a biennio impedientem *per cauterii actualis impoſitionem* curavit; qua ratione & fiſtulam ipſam, aliis quoque mediis non neglectis, curari oporteret, ſi quando, poſt ruptum ſpontè tumorem, aut per admotum eidem, abſque ullo crimine,

chi-

chirurgicum ferrum, ineluctabili tandem neceſſitate, produceretur. Hæc ſi vera, & artis præceptis conformia non ſint, *Horatii* Chirurgiam expectabo, quæ ſua illa, Ductuum ſalivalium *verè & ex toto* deſcripti ſitus cognitione ſuffulta, meliora doceat, atque interim duo alia breviſſimè expediam, quæ cùm ideo *Horatius* damnaverit, quia non intellexit, cùmque id ipſum, præcipitanter omnino egerit, & in tertium, & in quartum errorum genus, hìc quoque turpiter incidit. Præcipitem ſatis videri potuiſſe propoſitionem ſupra allatam, quę docet *Anatomiam minimam non eſſe neceſſariam ad medendum* confidenter admodum, nullaque ſui judicii prolata ratione definit: Etenim ipſa inania, levia, ac pauca argumenta, quæ ab eodem producta nuper expendimus, ne *minimam* quidem, ut animadvertere potuiſti, *Anatomiam* reſpiciunt, de qua potiſſimùm quæſtio eſt, ſed craſſiorem tantùm. Porrò ingenuum, literatumque hominem prædicto judicii genere uti, eodemque ſibi placere [quo quidem, ſingulis fere ſuæ Epiſtolæ paginis ſibi placet *Horatius*] num deceat; quidve, ac quantum peccet, qui ſic ſcribendo procedit, tametſi longè aliud ejuſmodi crimen ſit, quàm ut comprehendi ſub aliqua ex enumeratis errorum claſſibus poſſit, æquus ipſe Judex eſto: Hoc quippe jam miſſo, mihi ſatis eſt expendere, memoratam propoſitionem, adhuc magis inconſideratam, ex mente *Horatii* cenſeri oportere, *quod & Anatomen craſſiorem eſſe ad medendum neceſſariam neget & neminem de hac re dubitare, poſſe affirmet*. Ut clariùs res conſtet, ejuſdem propoſitionis verba tibi iterum repeto, *nemo poterit dubitare, de alia propoſitione, quam nos propoſuimus, videlicet, Anatomiam minimam non eſſe neceſſariam ad medendum, immo neque craſſiorem*. At quonam ſenſu dici putas ab *Auctore Vigiliarum* quòd neque *Anatomia craſſior* ſit neceſ-

Vigil. pag. 568.

Horat. Epiſtol. pag. 92.

ceſſaria ad medendum? Sanè non alio quàm quo dictum eſt, & Galeni auctoritate confirmatum, in *diſſertatione de Recentiorum Medicorum Studio*, aliam eſſe hujus Anatomiæ partem utilem, & aliam ſupervacuam: utilem quidem illam, ex qua ſitum, & connexionem ſeu colligationem partium cognoſcimus, de quorum neceſſitate ita ſcriptum eſt Opuſculorum pag. 7. *Cùm nulla ſit difficultas de poſitu & connexione &c.* item pag. 146. *De connexionis neceſſitate Author Diſſertationis minimè dubitavit: Nunquam de ſitu & colligatione partium lis mota fuit.* Supervacuam verò illam, quæ pleraque alia curioſa potiùs, quàm ad finem medicum conſequendum utilia, proſequitur. Iſtorum verò quædam ex ipſius Galeni doctrina recenſet *Auctor Diſſertationis* his verbis. *Sermo erat, de linguæ muſculis, quot numero eſſent, & quales ſpecie, quot eſſent membranæ cordis, de numero venarum ejuſdem, aut undè, & quomodo procederent, aut quo pacto nervus ex paribus illis, quæ a cerebro deorſum feruntur, eidem implantaretur. Hæc & alia hujuſmodi, ſupervacanea, & ad finem medicum conſequendum inutilia, & ſupra uſum eſſe docebat Galenus.* Quibus ſanè alia longè plura addere nos ipſi poſſemus, vel ex ſingulis noſtri corporis partibus petita, quæ nemini dubitandum relinquunt, quòd ipſa quoque *craſſior Anatomia* per multa non habeat, quorum exactior cognitio, ad medendum minimè eſt neceſſaria. Juxtà hanc ergo diſtinctionem intelligi, atque accipi opportuit ab *Horatio* propoſitionem prædictam, ne falleretur ſimul, & falleret, incautis Lectoribus obtrudendo, quòd *craſſior Anatome*, quaſi omnino, & abſolutè non neceſſaria eſſe ad medendum dicatur; verùm hoc jam confecto, alterum ex duobus proponamus, quæ non alia quidem ratione præcipitanter *Horatium* damnaſſe ſcripſimus, quàm quòd minimè intellexe-

lexerit corticalem cerebri ſubſtantiam ex minimis glandulis conſtare poſſe, negans inter cętera hujus Aſſertionis fundamenta, hoc quoque unum attulerat. *Auctor Vigiliarum* pag. 36. *Nunquam ſuppoſiti folliculi inventi ſunt ſebaceæ materiæ pleni, quando cæteræ humani corporis glandulæ conſimili materia infarciuntur* ſubdit verò ſtatim *Horatius*. *Quòd quanta præcipitantia ſcripſerit, oſtendunt eorum cadavera, in quorum cerebro, iis in locis in quibus corticalis ſubſtantia non deeſt, ſebaceæ glandulæ repertæ ſunt, tunc etiam quando cæteræ extrà cerebrum glandulę benè erant conſtitutæ, qualem Hiſtoriam in Miſcellaneis Naturæ curioſorum, & rurſus in Sepulchreto Anatomico ſecundæ editionis legiſſe memini*. Plura ſanè eſſent quæ ad hanc objectionem reponerem, ſed pluribus opus non eſt, ubi ſeptimi generis palmarem errorem, ineptum ſcilicet arguendi modum, peſſimæque illationis vim expendiſſe, ſufficit. Repertæ ſunt interdum in cerebro, iis in locis in quibus corticalis ſubſtantia non deeſt, ſuppoſiti folliculi glanduloſi ſebacea materia infarcti: *quando cætera extrà cerebrum glandulæ benè erant conſtitutæ*; ergo reperti ſunt & obſervati iidem folliculi glanduloſi in cerebro, ſebacea materia pleni, *quando cæteræ humani corporis glandulæ conſimili materia infarciuntur*. En egregium, quo *Horatius* utitur, arguendi modum: Et tamen, ut vides, tota fere vis argumenti ab *Authore Vigiliarum* adducti in eo poſita eſſe deprehenditur, quòd ſimultaneè illa duo accipiantur, folliculos nimirùm glanduloſos ſebaceæ materiæ plenos in cerebro obſervari, atque una reliquas humani corporis glandulas conſimili materia infarciri; ex hoc enim probatur conſimilem affectionem, tunc temporis potiſſimùm glandulas reſpicere, cùm alioqui nemo ignoret ſebaceam materiam vel in ſingulis noſtri corporis partibus, & circa Perioſtia, & circa membra-

Horat. Epiſtol. pag. 82.

L 2 nas,

nas, & in muſculis ipſis abundè ſæpe recolligi, cujus rei fidem faciunt Steatomata hic illicque paſſim aſſurgentia.

VIII. Hactenus de tertio nos egimus, quod prolixiùs aliquantiſper tractavimus, quia nonnulla ſub eodem comprehenſa ſunt, quæ, ut monuimus, e re quidem noſtra maximè fuerat diſcutere: Nunc verò ad quartum cum *Horatio* deſcendentes, quod levia dumtaxat, ac frivola complectitur, rem totam celerrimè tranſigemus, ut æque prolixitas noſtra, ac brevitas materię pretio continuò reſpondeat meminiſſe, ut puto, hoc illud eſſe errorum genus, quod his verbis *Horatius* notavit: *Authorum mentem non aſſequi*, ſed multò magis meminiſti, quod & ego non ſemel notavi, in hunc ſcilicet errorem, jam tertio quoque pęnè dixerim verbo *Horatium* ipſum verè incidiſſe. Non ergo quicquam de acceptatione termini *a priori*, quam ſuprà fusè proſequutus ſum, hic iterùm recoquam: non laborabo oſtendere ſenſum illorum verborum, quæ in *Poſthuma reſponſione* leguntur, *non conſtituiſcono immediatamente la leſione dell' operazione ch' è propria della parte* ab *Auctore Vigiliarum* probè omnino fuiſſe intellectum, quod negat *Horatius*, rationem quidem ſe habere dictitans, cur neget, nullam autem (qui illi mos eſt, ut ſupra obſervavimus) adducens; non evincere ſatagam num ly *inſuper obſervo* ſeu mavis, *di più oſſervo*, idem ſonet, quod *hoc etiam conſidero*: *Hoc etiam adverto*; & num obſervatio non ſuper hoc ſit, *quod morbi in Epiſtola relati ſint communes*, *ſed quod morbi communes*, *atque ideo minus ad rem facientes*, *eo in loco ſint relati*, quæ porrò ineptiſſima interpretatio, æquè ac illatio ineptiorem adhuc redderet obſervationem, ſi ſuper hoc eſſet; cùm nullus forſan ſit morbus ita alicujus ſingularis partis proprius, ut nulli alteri poſſit

Horat. Epiſt. pag. 136.

Horat. Epiſtol. pag. 95.

eſſe

eſſe communis, & radix ipſa morborum, ut aliàs inſinuatum eſt, in fluidis potiùs univerſum corpus reſpicientibus, quàm in ſolidis, & determinatis ejuſdem partibus hæreat; Hoc ipſum voluit *Author Poſthumus*, docens in curatione morborum Lienis incumbendum eſſe ſanguinis volatiliſationi, ejuſdemque motui reſtituendo: *Li moderni intendendo la compoſizione della Milza, con gli aſſorbenti, e li volatili cercano reſtituire la dovuta volatilizazione, e moto al ſangue*, & quamvis hoc quoque addat, quod ſolidam partem reſpicit, motum nempe tonicum fibrarum lienarium ſimul eſſe corroborandum: *e corroborare il moto tonico delle fibre carnee*, nemo tamen non videt reſpondentem huic indicationi morbum, aliorum quoque viſcerum fibris eſſe communem, ac proinde nequaquam Lienis proprium: Hæc, inquam, omnia non perquiram, ut neque alia, vel quæ occaſione tuendi propoſitionem *in Diſſertatione de Polypo cordis a Præceptore Antonini* ſui traditam hanc ſcilicet, *plura didicit præſens hoc ſeculum inſecta, Piſces, primaque & rudia naſcentium Animalium ſtamina luſtrans, quàm anteactæ priſcorum ætates circà ſola perfectorum corpora ſolicitæ*, idem *Horatius* ſcribit, diſtinguendo de Anatome ſubtiliori, & comparata, non de alia qualicunque eſſe explicandam (quod tamen vix ſatis eſſe poteſt, ut unà explicetur, quomodo anteactæ Priſcorum ætates, *circa SOLA perfectorum corpora ſolicitæ* fuiſſe dicantur:) vel quæ ſimiliter tradit, ut eidem *Antonini* ſui *Præceptori* jus ac dominium afferat alterius cujuſdam propoſitionis de cerebri, ejuſque uſuum cognitione poſt diligentiùs inſtitutam ipſius Anatomen adhuc obſcura, nihilque tale VVilliſium priùs docuiſſe oſtendat, quamvis ipſam & Anatomes cerebri, & ejus uſuum difficultatem expreſſiſſe concedat, ſed non illam tamen ad iſtam, aut iſtam ad illam viciſſim relatam:

Oper. Poſthum. pag. 137.

tam:

tam: quandoquidem diorifmus iſte omni caret ſale; ac purus putuſque verborum eſt luſus, cùm fieri nequeat, ut qui utramque difficultatem abſolutè cognoverit, utramque etiam comparatè non cognoſcat. Quod præterea objicit, *Authorem* nempe *Vigiliarum*, quid eſſent vaſa adipoſa, ignoraſſe, crepundiorum loco, *Horatio* donabo, modò ſimul faſſum ſe meminerit, *Viros hujus ætatis præſtantiſſimos in eum errorem incidiſſe, ut ſtrias pinguedinoſas, quæ ſanguinea omenti vaſa complectuntur, idem eſſe quod vaſa, ſeu ductus adipoſi, crediderint*. Erraverit ergo circa hoc punctum *Author Vigiliarum* ea ipſa ratione qua præſtantiſſimi hujus ætatis Viri erraverunt, non uſque adeò inglorium fuerit cum iſtis erraſſe: Et hoc quidem mihi ſatis eſſe poſſet abſque eo, quod plures ex ipſa *exercitatione de omento &c.* locos tibi indicarem, ex quibus juſtè credere nonnulli potuerint, ipſas quoque omentales Stirias ibidem pro vaſis habitas. Hos porrò omnes certè præterirem, ſi ſolius *Authoris Vigiliarum* Cauſſa hìc ageretur, & alii etiam Præſtantiſſimi Viri non accuſarentur, quorum honori id debeo, ut aliquot ſaltem ex iiſdem locis producam. Cùm ergo de Stiriis omentalibus in præfata exercitatione ſcribitur, quod *ramis, & finibus ſibi invicem Anaſtomoſi occurrunt*, & rurſus paulo poſt de earum ramis hoc idem repetitur, *ex quorum crebra anaſtomoſi conſpicuum rete efformatur*, quis non credat Stirias tanquam vaſa indicari, quorum unicè proprium eſt anaſtomoſi ſibi invicem occurrere? Præterea quando ex hiſce præmiſſis per modum quaſi deductionis concluditur: *quarè dubitandum venit ex ſtructura, & propagatione vaſorum potiùs, vel ſacculorum acervum ſapere*, quis non fateatur æquè ſaltem propenſum Authori animum fuiſſe, ut Stirias ipſas, vel vaſa, vel ſacculos appellaret? Ad hæc quando oleoſas Stirias trunco ve-

Horat Epiſtol. pag. 96.

venæ portæ appenſas in ranis obſervaſſe ſe ſcribit, viſaſque ſibi *conſpicuas guttulas olei, compreſſis præcipuè Stiriis, quæ unà cum ſanguine in hepatis cavum rapiuntur*, quis neget Stirias ipſas tanquam vaſa oleoſam ſubſtantiam devehentia, inque ipſam venam portæ evomentia ſalutari? Poſtremò denique [ut reliqua ſileam] ſi verum ſit, quòd ductus adipoſi dicti *propagantur a ſtiria in ſtiriam*, & quod *extremæ ſacculorum, ſeu ſtiriarum adipoſarum appendices videntur propagare ingentem vaſorum copiam, quæ nullam videretur habere connexionem cum venarum, & arteriarum truncis, & ramis, ut Auctor exercitationis* ſcribit, jam hìc ipſe propagationis modus arguere debet vel ex mente ejuſdem *Auctoris* Stirias eſſe vaſa, cùm perpetuum ſit in rerum natura, factaqua inductione in cęteris quibuſcumque vaſorum propagationibus pateat, minora vaſa non niſi a majoribus propagari, aut in majora deſinere, & conſequenter ſtirias eo ipſo, quòd ab illis propagentur adipoſi Ductus, vel in ipſas deſinant, non poſſe non referri ad iſtas ut majora vaſa ad minora, vel ut trunci ad ramos. Neque obſtat ſtiriarum ſtructura ex pluribus lobulis, ac veluti cellulis coaleſcens, cùm ad obtinendam rationem vaſis ſatis ſit, quòd fuſa pinguedo per ipſas moveatur, & ab ipſis in alia tranſeat vaſa; conſimili quippè modò pulmonares veſiculæ non niſi continuatio quædam, & expanſio pneumaticorum vaſorum eſſe videntur, quia fluidum aereum a præfatis Ductibus in veſiculas, & a veſiculis rursùs in eoſdem continua, reciprocaque motione, ultrò citròque remeat. Hæc circà vaſatam ſtiriarum omentalium ſtructuram paucis tibi nunc innuiſſe ſufficiat, & quantum præſtantiſſimos ſupra memoratos Viros tuendi, ſola exigit ratio, nam rei huic fuſiùs pertractandæ, atque enucleandæ, ſuam fortè aliquando dabimus diem. De adipoſis interim a-

liis

liis ductibus, quos verè a ſtiriis diſtinctos *Auctor Exercitationis* deſcripſit non niſi ingenuam ac candidam ejuſdem *Auctoris* confeſſionem tibi proferam ſub his verbis expreſſam. *Vaſorum autem, ſeu ductuum adipoſorum exiſtentiam non adhuc integrè aſſerere audeo:* Cum igitur minimè præſtet rei huic ut vides adeò incertæ, vel pauxillum immorari, jam ad aliud tranſeamus, quod *Author Vigiliarum* perperam intellixiſſe itidem ſtatuitur, dum textum quendam ex *Diſſertatione de Polypo Cord.* allatum, in quo probabile eſſe dicitur: *pulmones corpuſcula quædam quę antiquitùs brutalium animarum portiones credebantur, cribratione facta, pertranſeunti ſanguini commiſcere*, cenſura iſta notavit. *Hæc eruditio malè refertur, quoniam antiquitùs Philoſophi crediderunt, ſi non omnes, ſaltem plurimi, aerem non eſſe portionem animę brutalis, ſed ipſam animam brutalem;* Ait verò *Horatius* impugnata verba non benè intelligi, & hoc quidem ridiculo admodùm, ſophiſticoque argumento, quia nimirùm per eadem non aſſeratur de aere, at de corpuſculis ſive particulis aeris, quòd creditæ fuerint brutalis animæ portiones, idque omnino appoſitè, cum nemo ex his, qui aerem ipſam animam eſſe crediderit, negare deinceps poſſit portiones aeris, quæ in textu allato vocantur *Corpuſcula*, ipſius etiam animę eſſe portiones. Verùm hic inſignem quarti generis errorem, cui alius ſeptimi peſſima nempe argumentatio ſuperſtruitur, ipſe ſatis deprehendis. Qui enim aerem ipſam animam eſſe docuerunt, non hoc utique dogma protulerunt de aere animalium corpora circumobſidente [nam quod extra animalia eſt, eorum anima eſſe non poteſt] ſed de aere ſolo intra ipſorum corpora admiſſo, & ſanguini commixto, qui nomine *Corpuſculorum*, ſive *particularum* aeris hic interim indigitatur. Etſi ergo concedantur hujuſmodi corpuſcula eſſe portio-

Oper. Poſthum. pag. 25.

Vigil. pag. 110.

tiones aeris ſecundùm primum ſtatum accepti, non ſunt tamen portiones aeris in alio ſtatu conſiderati, ſed ſunt ipſemet aer, ac proinde ipſamet anima, non verò portiones animæ, quod mirum eſt *Horatium* non attigiſſe. Non abſimili porrò argumentatione utitur, ut aliam *Auctoris Vigiliarum* objectionem repellat. Cum enim *Antonini* ſui *Magiſter* ſcripſiſſet hepar, quod in mercatore illo Ortelio apud Schenchium relato ſub ſpecie cujuſdam carnis inteſtinis accubaſſet, *in opportuniori fortè ſitu locatum extitiſſe, ut ſecreta bilis in inteſtinum derivaretur*, cumque hæc verba *Authori Vigiliarum* caſtiganda viſa eſſent, eò quòd ille opportunior dici ſitus non poſſit, qui alius eſt ab eo, quem communiter ſibi eligit Natura, continuò *Horatius* vim iſtius objectionis non fregiſſe ſe tantùm, ſed & in ipſum *Vigiliarum Authorem* detorſiſse putavit, inquiens ſenſum illorum verborum non eſſe, *quod ſitus ille abſolutè, & ad cætera omnia opportunior fuerit, ſed ad hoc tantùm quod ibi quidem expreſsè dicitur, ut ſecreta bilis in inteſtinum derivaretur*: quaſi verò totum illum & hepatis, & felleorum vaſorum apparatum non in hunc potiſſimùm finem derivandi bilem in inteſtinum Natura condidiſset, atque ideo vel aliquid omiſiſſet, quod eidem opportunius implendo conferret; vel hunc ipſum licèt primarium, minoribus aliis ſuis finibus ſervire voluiſset: Quod quàm abſurdum, quàm ab ipſis Naturæ moribus alienum ſit, norunt omnes, qui iſtam norunt Sed quid, quòd alios iſtos fines neque indicavit *Horatius*, generalibus dumtaxat uſus his verbis, *ad cętera omnia* neque præterea probavit, ſitum illum ſaltem ad hoc tantùm opportuniorem fuiſſe, *ut ſecreta bilis in inteſtinum derivaretur*, cùm ex eo, quod hepar inteſtinis ipſis accubaret, ut dictum eſt, ſub ſpecie carnis cujuſdam, non illud ſanè continuò inferatur, ut

Malpigh. de hepat. cap. 8.

Horat. Epiſtol. pag. 98.

ſatis tibi, cordatiſque omnibus viris perſuaſum eſse puto, abſque eo quod longiùs explicem, pluribuſque inſtantiis evincam.

Pergit poſt hæc *Horatius* opponere, quòd Graafii variam tubarum capacitatem in principio, progreſſu, & fine deſcribentis verba quædam non benè fuerint intellecta, hæc ſcilicet: *hic tamen Naturę luſui quidquam concedendum eſt*, quæ porrò verba id tantùm ſignificare, quòd in aliquot individuis Natura non ſervet præciſam illam, quam Author prædictus ibidem indicaverat dimenſionem, ceu *Horatius* contendit, falſiſſimum eſt; nam ſi eorum vim accuratiùs perpendas, hoc præterea ſignificant, quòd nempe varia illa dimenſio vel in uno, & eodem, vel in diverſis individuis ſpectata minùs ſit attendenda, atque adeò non miſteriis, ſed luſus loco habenda; quæ quidem propoſitio ut in *Vigiliis* pag. 99., ità in *Opuſculis* meritò redarguitur hac veriſſima ratione quòd *Natura ſemper ſeriò agit, & nunquam ludit*, ideſt quicquid illa agit, verè myſterium eſt, nec aliquid ipſi è manibus labitur quaſi ludenti, varietateque ſibi placenti, quod Borelli quoque authoritate confirmatur, decernentis *Naturam nunquam ſpontè ludere, nec varietatibus delectari*. Poſtremò tandem alia hæc de *Authore Vigiliarum* querela ab *Horatio* inſtituitur, quòd nempe propoſitionem iſtam *Authoris Poſthumi* non benè intellectam pariter caſtigaverit. *Circa poi l' invenzione de' rimedj non vorrei parer ſtrano all' Autore della Lettera. Io penſo, che di troppo ve ne ſiano, perche non ſi vedono chè Pratiche, Antidotarii, Farmacopee, e ſperimentandoli non vi trovo quella felicità, che viene vantata dalli Scrittori. Vorrei uno, che li riformaſſe, e riduceſſe a pochi, e ſicuri.* In hanc verò propoſitionem aliquid ſibi nimis acerbi permiſiſſe *Authorem Vigiliarum* non negaverim. Sed & quid ſimi-

mile ſibi in eundem permiſerat *Author Poſthumus* dum illius propoſitionem convellens, qua aſſeruerat Plantarum Anatomen; *parùm aut nihil ſolidiori Medicinę practicę inſervire*, in hæc verba erupit. *Queſta è un' ingiuria fatta a Dio, e non a me. E' verità Cattolica, che Dio hà create le Piante con un' artifizio ſovrano, e le hà poſte ſopra la Terra, acciochè ſiano anche teſtimonio, e prova della ſua Sapienza, ed Onnipotenza, onde il cercare la loro compoſizione è un cantare Inni a Dio.* Utramque ergo ex iſtis cenſuris, Leonarde optime, invicem conferas, & ambos quidem ipſarum Authores, ne fortè nimis exorbitarent, non ſatis ſibi caviſſe dices; Uter verò illorum magis peccaverit & extra quæſtionis limites progreſſus fuerit, decernendum tibi relinquo. Ad *Horatium*, quod attinet, hoc tantùm dico, inanem eſſe ac prorsùs vacuum ejus conatum, quo ſuadere ſatagit citatam ſupra *Authoris Poſthumi* propoſitionem de iis remediis eſſe intelligendam, *quę a credulis nimiùm empiricis perperam in verorum numerum medicamentorum intruduntur, & ex æquo cum veris & legitimis recenſentur*. Nam in prædicta propoſitione ea remedia expreſsè notantur, quæ in Praxibus, Antidotariis, & Pharmacopæis paſſim occurrunt, talia ſcilicet, quæ a rationalium medicorum doctiſſimis & a celeberrimis Univerſitatibus, & Collegiis, non verò *a credulis nimiùm Empiricis* ſelecta ſunt, & approbata, ac in verorum Medicamentorum numerum admiſſa. Videor tibi fortaſſe levia hæc, & quæ omiſiſſe magis præſtaret, diligenter nimis proſequi; quod porrò verum eſſe egomet fateor, ſed non aliam quàm Lucii Apuley in hanc rem excuſationem adducam. *Si fortè*, inquit ille, *inepta videbor, & oppidò frivola velle defendere, illis debet ea res vitio verti, quibus turpe eſt etiam objectaſſe, non mihi culpæ dari, cui honeſtum erit hæc diluiſſe.*

Op. Poſth. pag. 166.

In Apologia pro ſe ipſo Orat. 1.

IX. Quintum ſequitur errorum genus diſcutiendum, in eo poſitum, ut noſti, quòd malè & parum fide Authorum mens referatur. *Vitium hoc alienas ſententias conſultò alterandi & malè referendi* (inquit *Horatius*) *non uno in loco Pręceptori tuo immeritò objicitur*. Aequum autem fuiſſet, ut unà referret, quot in locis *Poſthumę reſponſionis*, hoc idem *Auctori Vigiliarum* priùs objectatum fuerit: ſed interea id tacet, ut Lectorum animos in iſtius tantùm odium ſubornet. Geminos itaque adducit locos in hujus rei probationem; Primus occurrit pag. Vigil. 53. ubi redarguitur *Auctor Poſthumus*, quòd caſum quendam recitans ex Jacobo Berengario Carpenſi, in quo circa ſexageſimum diem certa quædam morbi mutatio contigiſse narratur, ipſe non circa ſexageſimum diem, ſed *ſexageſimo die* contigiſſe hunc ſcripſerit. Quod ut immeritò objici *Horatius* evincat, animadvertit Authorem, æquè ſuam rem agere, ſive ſexageſimo, ſive circa ſexageſimum diem præfata mutatio acciderit, ac proinde non magnam aliquam libertatem ſibi ſumere parumque diverſa eſse, quæ Lector exinde concipiat, atque addiſcat. Sed eſto totum hoc concedatur, & utraque lectio æquè ad rem Auctoris ſui faciat, non hoc tamen eſt, quod hic quæritur, ſed an fide ſatis, quo ad appoſitam diei circumſtantiam Hiſtoria narretur; nam & æquè rem ſuam egiſſet Auctor, ſi omnino diem tacuiſset. Cur ergo, quando ut taceret, non elegit, ad mentem poſtea Authoris non expreſſit? Certum enim eſt, quòd dierum, in quibus magnæ præſertim morborum mutationes contingunt, exacta conſideratio Medicis quibuſcumque in pretio ſemper eſt habita, adeòque non ita ſpernenda, ut parum diverſa concipere atque addiſcere Lector dicatur, ſive uno, ſive altero die accidiſse illa ſcribatur. Non ego quidem

dem *Authori Poſthumo* in crimen id verto, aut quòd unam potiùs, quàm aliam Lectionem, quaſi ſciens volenſque amplexus fuerit, mihi ſuadeo, quinimmo quòd unam præaltera acceperit, quaſi de earum qualicunque diſcrimine nihil cogitans, ut firmiſſimè credo, ita facillimè etiam indulgeo, ſed hanc eandem veniam *Authori Vigiliarum* tribuendam eſſe arbitror, quando credidit *Auctorem Poſthumum* confudiſſe concluſionem in *diſſertatione de Recentior. Medic. ſtudio*, allatam cum probationibus ejuſdem concluſionis, innixus Lectioni Latinæ, & quaſi de Italica nihil tunc cogitans, quòd enim iſtam vel hic vel alibi *callidiſſimè diſſimulaverit*, calumnioſa, inhoneſta ac indigna *Horatio* aſſertio eſt, quam ejuſdem cum aliis ſaporis ille ſua negatione ſatis repulit atque eidem *Horatio* probandi onus impoſuit, quod, quale, quantumque ſit, quęque graviſſima ſecum trahat honoris diſpendia ex citato aliàs Libro de Moralibus Criticæ Regulis cap. 12. didiciſſe ſatis poteſt. Neque id intactum præterire hoc loco poſſum, quod *Horatius*, quod *Terranova* injuſtè exaggerant, ſolùm nempe Italicum exemplar attendendum fuiſſe, eò quòd omnibus notum ſit *reſponſionem Poſthumam italicè tantùm a ſuo Authore ſcriptam fuiſſe*, id verò *Authorem Vigiliarum* diſſimulaſſe, *ut nempe latinam verſionem in qua minùs caſtigatæ, quam in hetruſco Exemplari propoſitiones leguntur, faciliùs, acriuſque, ceu legitimum Authoris textum poſſit impugnare.* Duo hic ſunt, ut vides; alterum quod Italicè tantùm ſcripta fuerit *reſponſio*, alterum quòd prava intentione ſe hoc ſcire diſſimulaverit *Author Vigiliarum*. Poſtremum hoc, ceu itidem calumnioſum, ac improbum, eodem negationis igne caſtigatur. Aliud verò, quod non modò infallibili ſecuritate omnibus notum eſſe prædicatur, verùm & de quo ſcribitur, *omnes aut ferè omnes editiones re-*

Epiſt. Terran. pag. 12.

ſtan-

ſtantur, *& omnino omnes id ſciunt*, intollerabili impudentia non caret. Quomodo enim id omnes ſciverint, qui utramque primæ editionis Londinenſis Lectionem, hetruſcam ſcilicet, & latinam, ſub uno eodemque *Malpighii* nomine publicè impreſsam legerint? aut quomodo æquius ſaltem non fuerit iſtos crediditſſe utramque eodem Parente natam, qui nec Latinæ Lectioni inſcriptum Traductoris nomen, nec monitum quidem Lectorem viderint, ne hanc ipſum pro textu Authoris legitimo, potiùs quàm pro ſimplici haberet verſione. Quidquid ergo ſit, an *ferè omnes* non tamen omnes abſolutè editiones teſtantur, quod noſtri iſti homines volunt: quod autem maximè refert, non id certè teſtatur Londinenſis, quę ceu omnium prima (quod aliàs monuimus) præ cæteris meritò attendi, & potuit, & debuit. Quòd ſi tamen de hujuſmodi re habenda adhuc foret querela, jam non iſta in *Vigiliarum Authorem*, ſed in eos, qui editioni huic præfuerunt, quique eandem ita in lucem prodire paſſi ſunt, omnino erit conjicienda: Quare turpiſſimè hic lapſi ſunt præfati homines, dum pravæ intentionis crimen alteri objecerunt, quod quàm longè ab eodem fuerit vel ipſius verba ſatis teſtantur; pag. enim 253. vix textum quendam *Operis Poſthumi* Latinè adduxerat, cùm ſtatim ſubiecit: *Et quoniam ut meliùs hoc idem omnes intelligerent*, *Italicum idioma annexuit &c.*, manifeſto argumento, quod utramque lectionem, Italicam ſcilicet, & Latinam eidem Auctori, ut ex adductis motivis par erat, deberi crediderit. Quid, quòd lectionem Latinam ſæpe ab Italica longè diſtare ubique *Horatius* crepat, nullibi verò efficaciter ſatis probat, ſi adductum fortè locum exceperis, cujus varia utcumque Lectio, nec in rè gravi, nec tanta eſt, ut admirationi cuiquam eſſe poſset, ſi vel uni eidemque Authori è ma-

manibus excidiſſet? Id autem infra, quoties occaſio ſe obtulerit, ſi modò meminero, ſibi ratum facere non omittam. Omittam quidem hic loci tria, vel quatuor, quæ & ipſe *Horatius* omittere ſe dicit, quamvis talia eſſe velit, quæ oſtendant: *non benè ibidem percipi Præceptoris mentem*, aut *quæ nihil ad rem faciunt*, aut *quæ contextus vim prima ſaltem facie corrumpunt*, hæc enim & hujuſmodi alia, quibus ſolam arrogantiam ſuam pro ratione eſſe voluit, ut paſſim voluiſse alias obſervavimus, refelli non merentur: Omitto & illud, quod in textu mox adducendo nulla ſit verſio, quæ legat, ut legit *Auctor Vigiliarum* pag. 252. *ineffabilem eſſe modum quo anima noſtra utitur in corpore in eliciendis operibus*, ſed omnes legunt, *utitur corpore*, cum & *Author Vigiliarum* primò adamuſſim, & per omnes omnino ſyllabas ita legat, & quamvis ibidem aliis illis verbis videlicet, *utitur in corpore* eandem ſententiam repetat, nemo tamen non facilè ſibi ſuadebit errorem Typographi huc irrepſiſse, quo loco ſcribendi *utitur corpore* ſcriptum eſt *utitur in corpore*, & unum utrobique exiſtere cæteroquin ſenſum, nec ullam eſse molem, quæ diverſæ huic Lectioni innitatur, quæque iſta cadente facilè & ipſa ſit ruitura. Vide, Leonarde optime, quo me ſolus tibi parendi genius vehementer adigat, ut nempe iſta inania uſque ac puerilia conſecter, quibus porrò alia quacunque de cauſſa, vel minimùm olei operæque impediſse puderet. Sed dum puerilia meritò hæc voco, meminiſse ſubit, quod ſupra tangere oblitus fueram, *Authorem* ſcilicet *Vigiliarum* de varietate quadam in concluſione ipſius primaria per *Authorem Poſthumum* notata loquentem, ejus ſimiliter animadverſionem puerilem vocaſse. Contendit autem *Horatius* varietatem animadverſam longè aliam fuiſse ab ea, quam *Author Vigiliarum* in hoc conſiſtere putaverit, quòd *Anatomia ſubtilior* mutata

ſit

ſit (non quidem a ſe ipſo, ſed ab *Authore Poſthumo*) *in Anatomia*, & id quidem quaſi ex mente, & verbis ipſius *Authoris Vigiliarum*. Neque aliter putaſse debuit, cùm nulla alia eſset varietas, quæ juſtè notari poſſet. Si enim dicatur (quod *Horatius* innuit) varietatem in hoc deſignari, quòd *Anatomia ſubtilior* modò *parùm*, aut *nihil ſolidiori Medicinæ inſervire* modò *inutilis eſſe ad arcendos morbos*, tradatur, quis rogo, longè puerilius hoc eſse non fatebitur, cùm duo hæc materialiter tantùm, ut ajunt, non formaliter differant, ideſt verbis, non ſenſu. Quid enim aliud eſt ſolidior Medicina, quàm morbos ab ægris arcere? Hippocrates ipſe non aliter illam definivit, dum faſsus eſt,

lib. de Arte. *Medicinam eſſe morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere &c.*, atque omnes verè omnino id ſciunt, quare concludamus honeſtiùs ac mitiùs hunc locum interpretatum fuiſse *Authorem Vigiliarum* ſupponendo varietatem animadverſam fuiſſe primam illam, quam innuimus, potiùs quàm ſecundam, quæ ſine graviori cenſura alteri affigi non poterat. Et, ut adhuc magis tibi conſtet, quantùm cauſæ illi fuerit, cur hunc locum ſic interpretaretur, expendas, quæſo, totam *reſponſionem*, & invenies ea fere omnia, quæ ibidem traduntur, non de *Anatomia ſubtiliori*, ſed *de Anatomia* dici; quaſi conſultò *Anatomia ſubtilior* mutata fuerit *in Anatomia*, ut illa omnia objicerentur, quæ aliàs vix ullum habuiſsent locum. Invenies præterea opinionem *Authoris Diſsert. Epiſtolaris* ita referri; *e ſoggiunge, che la via oggidì battuta è*

Op. Poſt. pag. 106. *quella dell' Anatomia degli Uomini, de' Bruti, e delle Piante, le quali non ſervendo alla Medicina pratica più ſoda, come promette moſtrare, non l' indrizza al ben medicare*. Tria hæc *Author* prædictæ *Diſſertationis* ita expreſserat, *ſubtiliorem videlicet Anatomen, Dendranatomen,*

men, *&* *Anatomen comparatam*, quorum interim primûm hic quoque in iſtud longè diverſum, mutatum eſt, *Anatomia degli Uomini*; quapropter ſi hæc ſaltem omnia inſpexeris, non injuria quidem, ut vult *Horatius*, ſed jure habita *de alterata relatione querela*, tibi videbitur. Nunc ad aliud tranſeamus, & textum illum proponamus, quem ſupra nos adducturos promiſimus, quemque minùs rectè *Author Vigiliarum* non modò intellexiſſe, verùm & retuliſſe, de more hic dicitur. Verba ejuſdem textus hęc ſunt. *Ineffabilem eſſe ſcio modum, quo Anima noſtra utitur corpore in eliciendis operibus, tamen certum eſt, Animam in operibus vegetativis ſenſus, & motus, vi machinæ, cui inſita eſt, neceſſariò agere, ad inſtar Horologii, vel Molendini æqualiter moti a plumbeo pendulo, vel ſaxo, vel a Bruto, aut ab Homine; immo, ſi ab Angelo moveretur, eadem ſequeretur motio ſituum variatione, ut efficiunt Bruta &c.* Oper. Poſthum. pag. 115.

Ait itaque hic *Horatius* in primis, *verba iſta in editione quidem Londinenſi, & Veneta ſic legi, at longè alio ſenſu, aliiſque interpunctionibus ſcriptum primò id eſſe ab Authore, quem porrò fideliùs Amſtelodamenſis, & Genevenſis verſionem ſequuntur.* Quæ porrò ſuperflua animadverſio eſt, cùm ſententiæ iſtius ſenſus non aliter hic accipiatur, quàm ſi prætenſis illis interpunctionibus id primò ſcriptum fuiſset, atque omnino conformiter ad hetruſcum ipſum exemplar. Sed accipe quod magis mireris, incredibilem nempe *Horatii* inconſtantiã, qua alius pęnè a ſe ipſo eſse videatur, idque non in magno quidem Libro, quod facilè condonarem, ſed in una eademque pagella, immo in una eademque pagellæ facie. Præfatum textum adducturus, hæc ille in *Auth. Vigil.* conjecerat: *Quotieſcunque hetruſcum exemplar ſuas objectiones eludere intellexit (eludit autem perſæpe, ut alibi indicavi, & ex parte mox oſtendam) quæ verba in eodem Tuſco exem-*

Horat. Epiſtol. pag. 104.

Horat. Epiſtol. pag. 103.

plari leguntur, callidiſſimè diſſimulavit: quod tamen non fecit, ubi ſuis reprehenſionibus exemplar idem magis exponi, judicavit; ſed tunc verba Italica in medium protulit, ut pag. 253. ad quem locum examinandum jam tranſeamus. Itaque hic, & videt, & ſentit, & fatetur verba Italica in medium fuiſse producta; ſed paulò poſt, Horat. Epiſtol. pag. 104. *En*, inquit, *ex pag. 292. ipſum* (*quod referri ſemper debebat*) *Authoris exemplar*, continuòque textum Italicum producit, ſic ut ſui penitùs oblitus, nec videat ampliùs, nec ſentiat, illum ipſum ab *Authore Vigiliarum* citata pag. 253. adductum fuiſse. Hæc quidem ſi ad trutinam revocentur, diſſimulationis calliditatem ſapere, longè faciliùs videbuntur: ſed abſit tamen, ut ego id credam, nam qui malum interpretem fuiſse *Horatium* hic doleo, nolim ejuſdem exemplum imitari. Error hic, ut vides, ſexti eſt generis, atque eo quidem gravior, quo Literis quibuſcunque morum honeſtas eſt ſanctior. Sed age, textum ipſum pervolvamus, & *Horatii* explicationem, qua tueri illum ab *Authoris Vigil.* cenſura abundè ſe putat, intimiùs rimemur. *E' però certo, che nelle operazioni della vegetazione del ſenſo, e del moto, l'Anima è neceſſitata ad operare conforme la machina, alla quale è applicata, in quella guiſa, che un Orologio, ò Molino, egualmente è moſſo da un pendolo di piombo, ò ſaſſo, ò da un Bruto, ò da un'Uomo, anzi ſe un' Angelo lo moveſſe, faria la ſteſsa mozione, con variazione di ſiti, come fanno li Bruti*: Annuo itaque *Horatio*, & quidem libentiſſimè, qui ait *quamquam in hoc loco,* Horat. Epiſtol. pag. 105. *niſi mors occupaſſet, Author, ut ego judico, paulò clariùs, atque feliciùs mentem ſuam erat explicaturus*, annuo id, inquam, libentiſſimè; verùm & longè meliùs eidem actum fuiſse reor, ſi hac ſola defenſione contentus fuiſset; quod enim præterea addit, paritatem illam ad corpus referri, & æquum, ac legitimum hunc tandem

dem

dem eſſe ſenſum. *Animam quidem noſtram movere corpus modò prorſus ineffabili; corpus autem ipſum ab Anima motum, cùm machina ſit, non niſi mechanicas operationes, & motiones poſſe præſtare, quemadmodum Horologium, vel Molendinum, ſive a plumbeo pendulo, ſive ab homine moveatur, mechanico ſemper modò rotas ſuas voluit, atque agitat*, id omne non admodum docti eſt, ac cordati hominis. Paritas enim adducta, ſive ad Animam in corpore agentem, ſive ad corpus ipſum referatur, omnino eſt abſona. Primùm ſatis conſtat ex eo, quòd Anima eadem fingatur, immo & expreſsè dicatur corporis machinæ eſſe applicita (Italicum exemplar ſequor, *alla quale è applicata*, quod pro verò ac legitimo habuiſſe, ac toties inculcaſſe *Horatius* hic nolit, dum certè Latino adhuc pejus ſonat, vertente, *cui inſita eſt*) eidemque velut ab extrinſeco aſſiſtens conſideretur, non aliter ac pendulum, vel ſaxum, vel Homo, vel Angelus, mechanicæ Horologii, vel Molendini ſtructuræ, extrinſecum quid eſſe concipiuntur, quando & omnes ſcholæ clamant, Animam eſſe corporis intrinſecam, & vera religio docet, corpus noſtrum ab ipſa tanquam a forma, ut ajunt, informante, non tanquam ab aſſiſtente, aut merè applicita regi; Quis enim Theologorum eſt, qui erroneum eſſe hoc dogma, immo & omni jure *configendum* (quod *Author* quoque *Vigiliarum* voluit) non decernat? Sed hoc Theologis ipſis committamus, & adductam paritatem jam ad corpus ipſum relatam conſideremus; ſtatum quæſtionis clarè priùs dilucidando. Quod hic controvertitur, ſanè non eſt, an corporis motiones mechanicæ ſint, nec ne, ſed hoc aliud, an ſcilicet ita ſint mechanicæ, quemadmodum motio Horologii, vel Molendini, quæ ſimul eſt abſolutè neceſſaria, & invariabilis, præſertim quandò vel a plumbeo pendulo, vel a ſaxo efficitur, quibus

Ibid.

nullum liberè agendi jus eſt, quo motionem ipſam variè alterare, ac moderari poſſint, adeòque & quandiu ipſa eadem manent, neceſſarium eſt, eandem quoque manere motionem, quam idcircò purè mechanicam fatemur. Cæterùm longè alia res eſt, quando eadem motio, vel Hominem, vel Angelum habet Auctorem; cùm enim ejuſmodi agentia ſint libera, eandem motionem modò retardare, modò accelerare, ac modò interruptam, modò continuam (quod nec plumbeo pendulo nec ſaxo licet) præſtare poterunt, & quamvis operentur ſecundùm machinam, vi tamen machinæ non coguntur, ut eodem prorsùs modo ſemper operentur, quamobrem & eorum actio, etiam ad Organum relata, purè mechanica dici non poteſt, quod enim purè mechanicum, id utique abſolutè neceſſarium eſt, & invariabile. Malè itaque adducta paritas veluti in unum miſcet res adeò diſpares, quales ſunt agens liberum, & agens neceſſarium, ac rurſus malè confundit, eaſdemque eſſe reputat motiones eſſentialiter diverſas, quæ vel ab uno, vel ab altero iſtorum præſtantur. Voco autem motiones iſtas eſſentialiter diverſas, non ſolùm ex eo, quòd illæ requirant determinationem agentis, ut fiant, atque ideo juſſę, iſtæ verò ſolam Naturæ neceſſitatem, atque ideo injuſſę vocari poſſint, verùm & ex eo quod illæ, prȩter hoc quod juſſæ, ut fiant, in ipſa adhuc poteſtate Agentis ſint, ut variè modificentur, non ſic verò aliæ.

Accedit magnum Organi diſcrimen, quo paritas adducta adhuc magis infirmatur. Horologio enim, vel Molendino, utpote ex dura, ſolida, ac rigida materia conſtantibus, nulla inducitur ſive a libero, ſive a neceſſario Agente, quo ad ſyntheſim ſuarum partium, mutatio: Contrarium autem planè accidit Organis corporis viventis, utpote quorum compagem integrant mol-

les undequaque, flexiles, ac in longum latumque variè conducibiles fibræ, quæ proinde in diverſos ſaltem abbreviationis & expanſionis motus, quandocumque Anima juſserit, trahi poſsunt, atque hinc contenta quoque fluida diverſimodè urgere, ex quo magnę in corpore mutationes ſubinde contingunt nulli planè Automatum familiares. Quod igitur rei ſum̃a eſt, hoc iterum repetamus, videlicet, aliud eſse, quòd Anima ſecundũ machinam operetur (novit enim unuſquiſq; hanc illi a ſum̃o Conditore inditam legem fuiſse, quandiu corpori manet alligata) aliud verò, quòd a machina cogatur operari, ut pendulum, vel ſaxum, hoc eſt ita prorsùs, & non aliter, quandoquidem non ipſa eſt, quæ ſervit, ſed quæ imperat, non ipſa, quæ cogitur, ſed quæ cogit. Sic & Citharædus pulſans Citharam, utique operatur ſecundùm machinam, ſed quando tenſæ illius fides in diverſas motiones ſonoras magis, vel minùs acutas, aut graves, celeres, aut tardas &c. trahi poſſunt, expectant nutum Citharedi, ut in unam potiùs, quàm in alteram trahantur, ejuſdemque manui ac digitis obſequuntur, non ipſos cogunt. Verùm, quando ipſe *Vigiliarum Auctor* particularem de re iſta Tractatum promiſit, quem propediem publici juris futurum, nuper mihi ab Amico tuo indicatum eſt, non ego pluribus tecum agam, ſed ad illius Lectionem te remittam.

Tres, aut quatuor, quæ proximè ſequuntur, cenſuræ in id omnes collimant, quòd verum & legitimum exemplar, ſeu quod fideliores Genevenſis, & Amſtelodamenſis editiones obſervatæ non fuerint ab *Auctore Vigiliarum*, in quibuſdam *Authoris Poſthumi* locis referendis, atque ideo quòd malè, & parum fidè ſint relati. Hanc verò accuſationem, ſeu potiùs accuſationis iſtius fundamentum, cùm ſatis ſupra exploſerim, nolo hic crambem recoquere. Verùm per te animadver-

vertas rogo, videlicet, citatos locos, quales ab *Horatio* ipſo producuntur, vix ac ne vix quidem, re ipſa ſpectata, inter ſe differre, ſive ſecundùm unam verſionem, ſive ſecundùm alteram legantur, & ſive Italicum, ſive Latinum exemplar inſpiciatur, id quod obiter noto, tum quia id aliàs me notaturum, ſupra promiſi, tum quia nihil eſt, quod idemmet *Horatius* incautis Lectoribus obtrudere in tota ſua Epiſtola magis ſatagat, quàm Latinum Exemplar præ Italico, & Londinenſem verſionem præ aliis *Authori Vigiliarum* fuiſse obſervata, eo quòd illa cenſuræ ſuæ magis paterent, quàm iſta. Unum tantùm ex his locis in medium adducam, reliquos minùs adhuc, immo ne tantillum quidem inter ſe quoad ſenſum diverſos, obſervare ipſe poteris. Ingentem movet *Horatius* ſtrepitum, quòd *Author Vigiliarum* ſcripſerit *Antagoniſta ſibi perſuadet eſſe Hippocratis fœtum* (Librum ſcilicet de veteri Medicina de quo loquitur) *ſecundùm ſyſtema Democriti ſcriptum &c.* Narrat verò ille rem totam, atque allatum ex eodem Libro Textum in *Diſſertat. de Recentior. Medic. ſtudio* memorat *confidentiſſimè* [ut ait] *ſub nomine Hippocratis*; quibus verbis magnum ſibi negotium aſſumit, nam & alii Authores omnes, qui Librum de Veteri Medicina ſub nomine Hippocratis citant, confidentiſſimè id agere, eidem fuerint dicendi, quos tamen omnes, ſi numerare dumtaxat velit, jam in poſterum totus fere in hoc ſit, oportebit. Sed quod rei cardo eſt, altiſſima demum voce clamat; quod ſi hetruſcum exemplar, aut ſi fideliorem Amſtelodamenſem, & Genevenſem verſionem *non autem Londinenſem*, *aut Venetam Author Vigiliarum*, ſibi impugnandam propoſuiſset, nunquam retuliſſet *Authorem Poſthumum ſibi perſuaſiſſe* Librum de veteri Medicina eſſe Hippocratis fœtum, ſed tantummodò juxta fideliores prænominatas verſiones

Vigil. pag. 419.

nes

nes *illud ſuppoſuiſſe*, aut juxta hetruſcum exemplar illud, interim credidiſſe. Quàm nihil autem interſit, ſive ſuppoſuerit, ſive crediderit, ſive ſibi perſuaſerit, tu interim vides, cùm cenſura allata nequaquam ſuper hoc ſit, ſed ſuper hoc alio potiùs, nimirùm quòd præfata aſſertio ſine fundamento fuerit adducta: Quod enim dicitur, Librum illum multas Democriti ſententias continere, etiamſi concederetur, id tamen nimis futile eſt, quàm ut pro ſufficienti ejuſdem Aſsertionis fundamento haberi poſſit: perinde ac ſi quis diceret, quæ Philoſophica ſcripſit Epicurus, plures Democriti ſententias continentia, idcircò eſſe Democriti. Verùm his miſſis, alia potiùs notare properemus. Falſitatis arguitur *Author Vigiliarum*, quòd *Authori Poſthumo*, Chirurgicum quoddam de evellendis glandularum folliculis documentum tradenti ſuccenſuerit his verbis: *Quomodo poterat de rebus chirurgicis teſtimonium ferre, & aſſerere ex propria obſervatione, quod nunquam præſtitit, nec vidit?* Siquidem *falſum eſt* (inquit *Horatius*) *eundem de illa re teſtimonium tuliſſe, ſive ex propria obſervatione aſſeruiſſe, ut ex prolectis diligenter ejuſdem verbis &c.* Quæ porrò accuſatio tota fundatur in hoc, quòd *Author Poſthumus* ſe rei hujus quaſi teſtem expreſsè non producat, ut neque expreſsè eandem ex propria obſervatione aſſerat. Sed nemo interim non videt, utrumque iſtorum tacitè ſaltem in allato documento contineri; quiſquis enim rem aliquam uno potiùs, quàm alio modo ſe habere aſſerit, jam hujus teſtem verè ſe producit, credique vult eandem ſe obſervaſse, maximè cùm agitur non de re ſpeculativa, & opinabili, ſed de re practica, & factibili. Qui autem credere hæc renuit, Authori ipſi injurium ſe præbet, videturque eundem deceptoris, aut nugatoris loco habere, utpote talia docentem, quorum nec teſtis

Vigil. pag. 306.

Horat. Epiſtol. pag. 107.

ſtis

ſtis eſſe poſſit, nec ullam unquam obſervationem habuerit. Præclarè itaque ſe geſſit *Horatius*, ſi ita cum Authore ſuo ſe gerere in animo habuit, ſin minùs, inconſultò quidem, ſed verè tamen injurius eidem fuit: In quem porrò errorem nulla ſub adductorum claſse reponendum, uti aliàs etiam incidiſſe *Horatium* notavi, ita non ubique, & quandocunque poteram, notare volui, ne longior quàm par eſset, tibique magis moleſtus fierem. Prætereo aliud, quod *Authori Vigil.* hic quoque objicit falſitatis crimen, in eo poſitum, quòd nunquam aſseruerit *Author Poſthumus*, uti ipſe refert *in ſcholis veterum ſolam pituitam in cerebri ventriculis morantem Apoplexiam producere -- univerſaliter loquendo*, quandoquidem, cùm hunc ipſum textum inferiùs quoque *Horatius* recoqueat, ſatiùs eſſe putamus in eum locum cuncta conjicere, quæ ad ipſum ſpectant, ne iterum ingeſta nimis facilè ſtomachum moveant. *Injuſtam referendi rationem*, hinc pergit *Horatius* vocare eam, qua Reſponſum Kerchringio datum in *Oper. Poſthum.* circà glanduloſam hepatis naturam, in *Vigiliis* notatur, nam *ut confidentiùs poſſit exagitari ita refertur* [inquit ipſe] *quaſi nonnulla, quæ Magiſter tuus circà uſum microſcopiorum raptim, & ferè quatenus opus erat, ad illud dubium de glanduloſa hepatis ſtructura diluendum, utque etiam faciliora in ea reſponſione indicavit, ita propoſuiſſet, ut quidquid circà uſum microſcopiorum, aut ille ſciebat, aut in univerſum tradi poteſt, ibidem tradere ex profeſso intendiſſet.* Porrò injuſta potiùs accuſandi ratio hæc eſt, nam, quod in *Vigiliis* demum convellitur, non eſt, niſi quod in *Op. Poſth.* aſſignatur pro *debita methodo* utendi microſcopiis ad evitandas deceptiones, non autem quod in univerſum tradi poteſt, aut quod *Author Poſthumus* ſcire poterat circà uſum eorundem. Præterea *debita* illa *methodus* impar

Horat. Epiſtol. pag. 107.

eſse

eſse oſtenditur ad diluendam Kerchringii objectionem, jam non de hepatis ſtructura glanduloſa, ſed de fallaci microſcopiorum uſu in genere propoſitum, atque adeò nihil mirum, ſi Kerchringio *nihil omnino reſpondiſſe* dicatur, non quidem (ut explicare par eſt & Lectio ipſa oſtendit) quod ad præfatam hepatis glanduloſam ſtructuram, ſed quod ad aliud indicatum Punctum, ſpectaret. Neque propterea meminiſſe opus fuit, ut vult *Horatius*, aut injectionum, aut coctionum, aut macerationum, aut Anatomes demum comparatæ, nam, quando hæc etiam aliàs oppugnata non eſſent, & ſimul ſumpta certitudinem glanduloſæ hepatis ſtructuræ probarent, certitudinem tamen uſus microſcopiorum non probant, quem hìc loci ad trutinam revocare *Author Vigiliarum* potiſſimùm intendit.

Alia itidem, quam in Critologicæ partis principio idem affert, cenſura, ad hæc *Authoris Poſthumi* verba ex *Epiſtola de Cerebro* adducta, caſtiganda, *ita ut eadem ſit omnium Animalium ſtructura*, ineptè ab *Horatio* refellitur. Quòd enim de ſola cerebri ſtructura proferantur ab Authore, qui paſſim in ſuis operibus abſolutè, & generaliter inculcat, *Naturam ſolere ſimpliciori, & unica methodo ut plurimùm procedere*, ſive *ut plurimùm Naturæ ferè conſimilem eſſe operandi methodum*, omni caret probabilitate, nec conſonam ſibi facit Auctoris doctrinam. Quid, quòd nulla ſit ratio, ob quam ſi aſſeratur, *eandem eſſe ſtructuram omnium Animalium*, reſpectu corticalium glandularum cerebri, hoc idem de reliquis partibus ſupponi non debeat, in quarum examine eadem ſemper methodo, & Anatome comparata uſus eſt *Author Poſthumus*, ut omnes norunt, & *Horatius* ipſe fatetur? Sed ipſum confirmatur ex eo, quòd *unica eſſe Naturæ methodus* dicatur in textu ſupracitato, quæ porrò unica non eſſet, ſi alia foret in

una parte compingenda ab ea, quæ eſt in reliquis, etiam quoad atomam ſtructuram, licèt adhuc latentem: Latere autem iſtam tribus rurſus modis intelligi poteſt, vel ex parte ſcilicet ſenſus, vel ex parte intellectus, vel ex parte utriuſque; & quanquam omnibus hiſce modis nimis verum eſſe concedamus, *atomam, minimamque ſtructuram adhuc nos latere*, quod in citata Epiſtola dicitur, ex parte tamen intellectus hoc ſaltem luminis aſſulget, quòd nempe, ſi eadem ſit ſtructura, uſque ſaltem ad ea minima, quæ ſenſus microſcopiis etiam adjutus attingit, vix proinde poſſit, aut debeat diverſa concipi in iis, quæ ſenſum fugiunt. Simili quippe fundamento nititur & illa Neotericorum fere communis opinio, determinatas figuras tribuens ſalium particulis etiam atomis, & a ſenſu remotis, quòd eaſdem figuras in ſalium eorundem moleculis, quoad uſque ſenſus pertingit, ope etiam microſcopiorum obſervent.

Horat. Epiſtol. pag. 111. Demum, quod ait *Horatius*, præfatam aſſertionem, *non de omnibus* eſſe intelligendam, ejuſdem aſſertionis verbis apertè contradicit; *ita ut eadem ſit omnium Animalium ſtructura*, & rurſus Authorem ſuum ſibimetipſi veriſſimè contradicentem legentium oculis enucleatus ingerit, quando rem *ut plurimùm* quidem ita ſe ha-

ibid. bere, *non ſemper* ex ſupra allatis textibus conatur evincere. Verùm hoc etiam conceſſo, quid *Authori Vigiliarum* cum hujuſmodi diſtinctionibus? Argumenta ab eodem propoſita æquè militant ſive *ut plurimum*, ſive *ſemper* eadem eſſe ſupponatur vel Naturæ methodus, vel animalium ſtructura. Enim verò, ſi *ut plurimùm* tantùm id audiat, objectata quoque abſurda *ut plurimùm* ſaltem contingent, quod ſatis eſt, ut eadem argumenta firmo adhuc ſtent robore.

Conflari magnam *Authori Poſthumo* apud Lectores invidiam improbis relationibus ait *Horatius*, in aliis lo-

cis

cis *Vigiliarum* mox adducendis; & primùm ſtatim hunc profert: *occaſione nervi optici in Piſce gladio obſervati, de quo verba facit Euſtachius, & a quo recepit Antagoniſta, omiſſo de induſtria illo, per quem profecit, & addito tantùm nomine Piſcis Xiphiæ &c.* Contendit verò ex ejuſmodi relatione neminem futurum, qui *non credat Euſtachium ſcribere, illam obſervationem ſe habuiſſe in Piſce Gladio, Præceptorem verò Antonini*, ut ſcribit, *obſervationem ex Euſtachio tranſcripſiſſe, & nihil aliud novi nos docuiſſe, quàm Synonimum Piſcis Xiphiæ.* Aſt contra ego cenſuerim neminem futurum, qui ita credat, niſi rudis aliquis Garamanta ſit, vel Indus. Quem enim ſtudioſum latet, aut cui in promptu non eſt Euſtachii lectio, qua facilè doceri poſſit, quid iſte ſcripſerit? Quis eſt, qui ignoret, quibus argumentis antiquam iſtam, ut ipſe fatetur, ideoque nemini ignotam litem Fracaſſatus, & Borellus favore *Malpighii*, exegerint, quam tamen a doctiſſimis Viris, & ſolius Veritatis Amore, uti par eſt credere, flagrantibus, in celeberrima Florentiæ Academia, & coram magno, æternùmque memorando, glorioſiſſimo ejuſdem ſtatus Principe, propoſitam, audacter nimis *Horatius* vocat non objectionem, non difficultatem, non litem, ſed, ſuo more, *Calumniam*: Hinc ergo ſatis cùm pateat, crediturum neminem, quod omnes credituros ſibi fingit, reliquum eſt ut videamus, an illud ſaltem verum ſit, quod aſſerit, Euſtachium ſcilicet *nihil, aut propemodum nihil*, at Malpighium ſolùm verè rem iſtam docuiſſe. An ſua ſint, an ab aliis mutuata fundamenta, quæ pro ejuſmodi aſſertione adducit, notum adeò eſt omnibus, ut nec poſtulet indicari. *Porrò* (inquit) *Euſtachius ſiluerat genus, nedum ſpeciem animalis, in quo obſervaverat conſequenter nihil, aut propemodum nihil docuerat. Alter verò ſe obſervaſſe dicit in Piſce, &*

ibid. ibid. Horat. Epiſtol. pag. 112. Ibidem.

hoc non ſolùm, ſed nominatim in Xiphia, Thynno, & aliis; Conſequenter, ut mittam cætera, quæ addit, ipſe rem docet. Cæterùm hæc doctrina non ſatis aptè diſtinguit inter rem, & ſubjectum rei. Peculiaris ſtructura nervi optici res eſt, de qua agitur; ſubjectum verò hujus ſtructuræ hic, vel ille ex nominatis Piſcibus. Porrò ſtructuram prædictam Euſtachius deſcripſerat, atque ideo rem docuerat: Pro eo autem, quòd *Malpighius* ſubjectum rei indicaverit, quod alter ſiluerat, non negaverim eidem quoque gratias eſſe referendas, ſed *Authorem* ſimul *Vigiliarum* non injuſtè optaſſe crediderim, ut ille Euſtachium deſcriptæ ſtructuræ nominaret Auctorem, adderetque deinde eandem in præfatis Piſcibus ſibi occurriſſe. Hoc quin immo conſilio ſi uſus fuiſſet *Malpighius*, & Euſtachio, quod ſuum erat, juſtiùs reddidiſſet, & deſcribendæ iterùm ejuſdem ſtructuræ labori parcere potuiſſet; totum quippe iſtud negotium unica confeciſſe linea, ſat erat, qua ſtructuram nervi optici ab Euſtachio deſcriptam in præfatis Piſcibus ſe obſervaſſe doceret. Ut compendio dicam, haud aliter gerenda res iſta videbatur, quàm ſeſe gerere oporteret quiſquis Terras, ac Maria peragrando, fortè in Urbem incideret, cujus abſolutam omnibus, ut ajunt, numeris deſcriptionem antea legiſſet, mundi plaga, qua jaceret, ſilentio dumtaxat prætermiſſa: Id enim ſi narrare cuipiam vellet, Urbis quidem ſitum hunc, vel illum inveniſſe ſe diceret, quem memoratæ deſcriptionis Auctor tacuiſſet, at, quidquid reliquum eſſet, quod ad Urbem ipſam ſpectaret, narrationi parcens ſuperfluæ, apud eundem Auctorem legendum, rectiùs ſaltem agens, juberet. Itaque ad aliud cum Horatio tranſeamus. Scribit *Auctor Vigiliarum* pagina 133. *Antagoniſtam ſuo more de Fibris Lienis multa ſcripſiſſe, ac ſi primus illas vidiſſet; Qui veritatem amant, le-*

legant, Higmorum tam in Diſquiſitione, quàm in Exercitationibus; legant Gliſſonium, antecedenter Veſalium, & priſcos Anatomicos, Hippocratem ipſum, & determinent, an ſint novæ, an ex aliis repetitæ obſervationes. Hìc autem continuò *Horatius* clamat: Aſt in ipſo *Capite* 2. „de Liene„ *in quo ſcilicet de his fibris agitur; nonne Glißonius, immo & alii etiam antiquiores Anatomici eaſdem fibras & vidiſſe, & conſideraſſe expreſsè ſcribuntur?* Tanti interim rumoris cauſſam ſi tecum penſitare volueris, non aliam eſſe deprehendes, quàm quòd præfatum *Authoris Vigiliarum* locum minimè intellexerit, uti mox apertiſſimè oſtendam, qui quarti generis error eſt. Neque enim ille Antagoniſtæ affingit, quòd fibras Lienis primùm ſe vidiſse præſumpſerit, ſed quòd multa de illis ſcripſerit, ac ſi illas primus vidiſſet, quæ tamen nova non ſunt. Primam hujus Aſserti partem abundè probant hæc ipſius *Authoris Vigiliarum* verba pag. 131. ubi methodum Antagoniſtæ recenſens de his fibris tractantis fatetur citatum ab ipſo fuiſse Gliſsonium, & alios Anatomicos, inquiens, *de Natura fibrarum diſſerit, & primò ſecundùm aliorum mentem; deinde ſecundùm propriam, ideoque refert nonnullos inter vaſa ſanguinea repoſuiße; recenſet etiam opinionem Glißonii, qui autumavit eaſdem auxiliari nervis &c.* Secundam verò partem, quòd ſcilicet multa, quę de illis ſcribit, nova non ſint, nec ſua, ſed aliorum, *Author Vigil.* probat, & in ordine ad uſum, & in ordine ad terminum a quo oriuntur, & in ordine denique ad modum, ſive quo ab una in aliam ambientis membranæ partem excurrunt, ſive quo invicem implicantur. Et quidem in ordine ad uſum, quem Antagoniſta ſtatuit hunc eſse, ut mollem (quod etiam Hippocrates indicaverat) Lienis ſubſtantiam conſervent, nullo alio iſtius uſus Auctore produ- ibid.

ćto,

ƈto, *eumque locũ habere docet, qualem in Ædificiis ferrea illa vincula, quæ arcubus ad robur ſubtendũntur*, ſimile cogitatum legi apud Denſingium, Higmorum, Bartholinum, & Gliſsonium obſervat. In ordine verò ad reliqua mox dicta, originem nempe, & modum ſive implicationis, ſive propagationis earundem fibrarum, Higmori textum producit, in quo nihil iſtorum deſiderari poſſit, quique ita ſe habet: *Fibræ hæ ab Anatomicis pro venis habitæ, quaſi rami ſplenici eſſent propagines, ſunt revera filamenta tenuia, valida, nullam cavitatem habentia, nec a ramo ſplenico ſive arteria originem ducentia, ſed variæ inter ſe complicatæ fibræ, quaſi retia multa complicata, & connexa fuerint, utrinque tunicæ lateribus firmiter adnectuntur, ex qua principium ducere videntur &c.* Pronum eſset ex his præter errorem malæ intellectionis nuper indicatum, alium quoque infidæ relationis deducere, quem tamen facilè prætereo. At non ſic illud præterire poſsum, quod ægrè ferre me fateor, *Horatii* videlicet cenſuram vix ullam eſſe, quæ rem totam ex fonte veluti hauriat, quo fit, ut ejuſdem dumtaxat partem Lectoribus objiciens, iniquum ab ipſis judicium penè extorquere videatur, ſolidioribus interim argumentis, & rationibus hac ipſa arte declinatis, quibus citrà inanem verborum ſtrepitum, & æqui Viri, & probati cenſoris potiſſimum munus eſt, graviter reſpondiſſe. Id etiam fieri ab eodem videas in his, quæ ſubſequuntur. Acriter enim dolet, ſcripſiſſe *Authorem Vigiliarum pag.* 395. *diviſionem Aſthmatis* (in humidum ſcilicet, & ſiccum, cujus mentio habita fuerat in *Reſponſione Poſthuma*) *noſtro hoc ſæculo cognitam fuiſſe, falſiſſimum eſt*, & præterea pag. 298. *adhuc Antagoniſtæ Doctrina eſſet manca, quoniam noſtro hoc ſæculo prædicta diviſio non eſſet inducta. Neoterici bona venia eorundem ſæpe in hoc ſibi plurimum tribuunt, ut mul-*

multò plura ſe detexiſſe credant, quàm revera detexerint &c. Clamat verò uſque ad ravim in *Reſponſione Poſthuma*, ſcriptum nunquam eſſe, *illam diviſionem hoc noſtro ſæculo primùm innotuiſse*, quæ ſi Amſtelodamenſis, & Genuenſis verſiones attendantur, *dilucidata*, ſi Londinenſis *enucleata ideſt explanata*, *ſive dilucidata* dumtaxat dicitur, id quod cum legitimo exemplari apprimè conſonat, in quo legitur, *ſi è dilucidata la ſua diviſione &c.* At bone Deus, cur non & hic mentio ſit caſtigationis allatæ ab *Auctore Vigiliarum*, qua tanquam minùs apta mulctatur hæc ipſa Aſthmatis diviſio in humidum, & ſiccùm, intelligendo nomine ſicci ſolùm Aſthma convulſivum, quando plures aliæ Aſthmatis ſpecies ſub hoc ipſo diviſionis membro, tanquam ſub genere continentur; & cur argumenta, quibus id nervosè probatum eſt, intacta relicta? Cur non oſtenſum, ſed gratis tantùm prolatum, plura docuiſse Recentiores de Aſthmate convulſivo, quàm docuerint olim citati Veteres Doctores, aut quatenus etiam id præſtitum fuerit, quomodo beneficio Anatomiæ præſtitum tandem id eſse dicatur. Porrò modus explicandi Aſthmatis alicujus generationem dependenter a convulſifica diatheſi muſculorum thoracis, aliarumve partium reſpirationi inſervientium, quando etiam eſset novus, non propterea a novo aliquo invento Anatomico originem ſuam duxiſſe videretur, ſed a novo dumtaxat cogitandi modo. Cogitare autem Muſculos Thoracis, fibraſve motrices aliarum prædictarum partium, quæ reſpirationi inſerviunt, convelli poſſe, atque ideo difficilem reſpirationem efficere, cui ſub ipſa Anatomiæ infantia non licuiſset? Idea quippe convulſionis etiam citrà exactiorem nervorum, quam VVillis attulit, deſcriptionem, omnino eſt clara, cùm nec ad nervos, ſed ad muſculos ipſos convulſivi motus propriè ſpectant,

tent, & quatenus ad nervos ſpectarent, utique non ad ipſos, qua taliter diſtributos, ſeu ab uno potiùs, quàm ab alio plexu procedentes, ſed qua in muſculorum carnes utcunque derivatos, ac diſtributos ſpectant. Hæc expendere, hæc ſolvere, hæc Antonino ſuo indicare *Horatius* debuit potiùs, quàm inaniter ſtrepere, an diviſionem Aſthmatis in humidum, & ſiccum noſtro hoc ſeculo dilucidatam potiùs, quàm cognitam eſse dixerit *Author Poſthumus*. Quòd, ſi juſtam quoque de re iſta ſententiam dicere amabat, diligentiùs expendiſſe debuerat legitimi exemplaris adducta verba, hæc ſcilicet: *L'altra poi* (ideſt Pathologia Aſthmatis ſicci) *rozzamente accennata da Elmontio, e da Piſone, perche non fu accompagnata con le vere oſſervazioni Anatomiche, hà laſciato il luogo al VVillis, & ad altri d'illuſtrarla, e farſene glorioſi, dirò Autori &c.* Conſtat enim hinc, primò ruditer tantùm fuiſse ab Helmontio, & Piſone indicatam, quod perinde eſt, ac ſi dicatur magna ſaltem ex parte incognitam relictam; Secundò, noſtris temporibus illuſtratam quidem, ſed ita, ut qui eam illuſtrarunt, fere videantur illius Auctores fuiſse, quod fere ſonat primò illam cognoviſse. Non improbè ergo, non infidè vim, & ſenſum alieni textus corrupit *Auctor Vigiliarum*, ſed *Horatius* potiùs quædam illius verba, non ut cum aliis conjuncta, ſed ut in ſe ipſis ſpectata ſcrupuloſiùs retinens, vim & ſenſum ejuſdem textus neglexit: Quanquam (ſi quid valet hariolari) ne neglexit quidem, ſed diſſimulavit, cùm tamen paulò poſt diſſimulare non potuerit, atque ita ſibimet ipſi contradicere coactus fuerit. Mox enim, quamplures eſse Recentiorum inimicos, hac tempeſtate ait, qui *ſi rei alicujus a Neotericis ſub omnium oculis poſitæ veſtigium aliquod, aut aliquem ſaltem, ut ſic dicam, odorem in uno vetuſto Libro -- invenire poſſint, antiquum textum*

Horat. Epiſt. pag. 113.

volen-

volentibus, nolentibus ſemper inculcando eruditos ſe, & majoribus gratos oſtentent; Recentiores verò, nil tale unquam ſuis laboribus promeritos, aut ignaros, aut in primis ingratos proclament, & impudentes, ac tandem concludit. *Sanè res obſoletæ, maximè ſi nunquam ſufficienter fuerint probatæ, eæ quaſi nunquam dictæ mihi videntur.* Nunc abs te peto, Leonarde, nam qui ità ſentiens, prætereaque pathologiam Aſthmatis ſicci ruditer tantùm ab aliis indicatam, hoc eſt nunquam ſufficienter probatam, Authori ſuo concedens, eam quaſi *nunquam dictam* tenetur admittere, juſtè deinde alicui ſuccenſeat, qui ex ejuſdem ſenſu illam noſtris temporibus cognitam vocet; & num ſibimet ipſi, ſi modò ſuccenſere velit, adverſus fiat? Ne autem fortè ſuſpiceris propoſitionem illam minùs ſubſiſtere, accipe quibus argumentis ex eodem probetur: Exemplo eſſe ait, religioſum venarum delectum, quem olim quidem veteres aliqui contempſerint, & qui tantummodò poſt evulgatam ſanguinis circulationem communiter exploſus fuerit. Sed hoc, ut video, parum te movet, qui detectam ſanguinis circulationem excludendo, venarum delectui nihil omnino contuliſſe, aut conferre potuiſſe, jam ex me ſuprà audiviſti. Aliud itaque exemplum ſufficere ait ſtructuram cordis muſcularem: Quòd Natura cordis muſcularis jam cognita Hippocrati, & aliis in *Vigiliis* dicatur pag. 570. intelligere ſe, *quid ſibi velit, ex earundem Vigil. pag.* 414. *ſcilicet Stenonium, & Lowverium pro communicata muſcularis Naturæ cordis notitia, immeritò extolli. Hanc laudem ab Anatomica Schola antiquis deberi, de hac cognitione eſſe ipſi vetuſtiſſimo Hippocrati gratias habendas.* At putas ne, Leonarde, aliquem iſtorum legi, in citata pag. *Vigil.* 414. Non edepol. Quicquid igitur habet criminis paſſim hæc interpretatio, quæ certè errorem quem-

cunque malæ relationis ſimpliciter longè excedit, id omne in Authorem ſuum recidat. Peſſimam autem interpretationem hanc voco, non quia verè peccaſſe crediderim *Authorum Vigiliarum*, etiam ſi illa omnia protuliſſet, quæ eidem affingit *Horatius*, ſed quia mihi videor & ego ſatis ſuperque intelligere, quid ea ſibi velint, ſcilicet prædictorum Virorum gloriæ eundem invidè detrahere: Ipſos tanquam nihil promeritos infenſo animo traducere; Pro tanto facinore communi Doctorum Virorum odio configendum fore. At dira hæc mala facilè avertent Numina, atque æquum proborum omnium judicium. Aliud enim eſt Natura, aliud ſtructura cordis muſcularis. Illam Hippocrati, aliiſque cognitam fuiſſe qui dixerit, nihil Stenonio, nihil Lovvero detraxerit: Hanc verò Schola Anatomica utique ipſis debet, ſed an *Author Vigiliarum* ipſis non tribuit? Oſtendat *Horatius* locos, ſi poteſt, & in ſuas laudes me ſtatim pronum habebit, qui alioquin pravè ipſum ſuſpicari de alio, atque huic, quod malè ſuſpicatur, mirum quanta ſecuritate affingere, non poſſum quin improbem. Video equidem, quo fortè ſe vertat, contendens ſcilicet, non modò muſcularem ſtructuram, verùm & muſcularem Naturam cordis clariſſimis præfatis Auctoribus deberi hac potiſſimùm ratione, quòd niſi illi *ſtructuram cordis cum aliorum muſculorum ſtructura rectè comparare docuiſſent, fruſtrà adhuc Hippocrates cor muſculum eſſe dixiſſet, & communiter adhuc cum Galeno de Anat. adminiſtratione l. 7. c. 8. affirmaremus*: „nihil intelligunt, qui cor „muſculum eſſe dicunt„. Sed quommodò communiter affirmaremus, quando neque Galeni tempore communiter id affirmabatur? Recitat ipſe in eodem loco opinionem quorundam, qui cor muſculum eſſe dixerunt, meminit fibrarum omnis generis, ex quibus componitur, meminit motus conſtrictionis, & dilatationis,

Horat. Epiſtol. pag. 1. 4.

quem

quem peragit, ſed interim negat eſſe muſculum, hoc eſt (ut ex ipſius lectione colligitur) ejus ſubſtantiam eandem eſſe ſpecie cum ſubſtantia aliorum muſculorum, & in hujus rei probationem varia adducit argumenta, quæ porrò ex Lovverianis obſervationibus non tolluntur, quale inter cætera illud eſt ex guſtu petitum, quem diverſimodè omnino afficit ſubſtantia cordis, ac ſubſtantia aliorum quorumcunque muſculorum, utraque licèt ſimiliter elixa. Haud ineptè Hippocratem, & Galenum conciliare ergo quis poſſet, cogitando, illum, dum cor eſſe muſculum docuit, reſpexiſſe cordis officium, hunc verò, dum negavit, reſpexiſſe cordis ſubſtantiam ſpecie diſſimilem a ſubſtantia cæterorum muſculorum. Ineſſe autem hanc ſpecificam diverſitatem ſubſtantiæ cordis, non ſolùm faſſi ſunt etiam poſt Lovverum Diemerbroechius, & Hofmannus, ut notat *Author Vigiliarum* pag. 414. verùm & alii Recentiores quamplurimi non poſſunt non fateri, omnes ſcilicet illi, qui in corde ipſo, vel flammam vitalem, vel ignem non lucentem, vel fermentum Hogellandicum, vel aliud quid ſimile omnino ſuprà muſculi Naturam poſitum admittunt. Quę cùm ità ſe habeant, ſanè non video, quo ductus ſpiritu *Horatius* ſcribat: *Nunc ſciunt Anatomici, & paſſim docent, cor muſculum eſſe*; ſi modò velit ità intelligenda fore hæc verba, ac ſi docerent, cor purum putumque eſſe muſculum: multò minùs percipio, quo genere laudis exollere ſe putet Recentiores Anatomicos, quos noſtros vocat, ubi eoſdem quaſi cùm veteribus conferens, & de iſtis ait: *qui Hippocratem frequentiùs legebant, quàm noſtri*: Quaſi frequentior Hippocratis Lectio Veteribus obbrobrio, minùs verò frequens noſtris ſit decori? Utinam frequentiùs & noſtri Hippocratem legerent, ſi modò *Horatio* Recentiorum gloriæ hac in re parum

Horat. Epiſtol. pag. 114.

ibid.

faventi credendum ſit, quod non ità frequenter legant; frequens Hippocratis Lectio plurimi ſanè ab omnibus Medicis ſemper eſt habita. Hanc ſi minùs frequentent Recentiores, quòd meliores indè Anatomici non fiant, cùm tamen fieri meliores Medici poſſint, utique compertum fuerit, eoſdem magis de rei Anatomicæ, quàm de rei Medicę ſtudio, fore ſollicitos, quod ſine maximo artis præjudicio accidere vix poteſt. At bono eſſe animo nos interim decet, ea potiſſimùm ratione, quòd corrupta quidem, ac malè feriata de re iſta *Horatii* opinio ſit, nequaquam verò Recentiorum ſtudia, quorum ſaltem plurimos Hippocratis opera nocturna, diurnaque manu verſandi haud minor, quàm olim Veteres, tenet adhuc cupido, atque huic addictus ſtrenuus labor, ut præter cætera ſatis teſtantur, quę honoris cauſſa nomino, illuſtria Aphoriſmorum Commentaria, noſtra hac ætate a D. Luca Tozzi adornata. Sed jam hæc miſſa faciamus.

Antiqua olim ſententia fuit, in cerebri ventriculis ſpiritus animales generari. Hanc reliquiſſe rationales Medicos, cognita glandularum theoria, & ſeparatione ſucci in glandulis corticalibus cerebri, qui impellitur in ejuſdem fibras, & deinde in nervos, docuerat *Auctor Poſthumus*, ſic ut indè firmari videretur, prædictos cerebri ventriculos, exploſo eorundem uſu prædicto, unicè reſervari colligendis, & repurgandis cerebri recrementis. Reponit ad hæc *Auctor Vigiliarum nimia facilitate ultimis Authoribus* hunc uſum attribui, qui veterum plurimis, quos citat, omnino potuit. Negat rursùs ſpirituum generandorum munus cerebri ventriculis antiquitus aſſignatum, fuiſse exploſum noſtris diebus, atque id pluribus Galeni locis firmat. Stans hic pro *Authore Poſthumo Horatius* eundem (inquit) *prædictum* „uſum ultimis Authoribus attribuere,„

Epiſt. Hor. pag. 115.

fal-

falſam eſt. Dubius ego hic hæreo, an id falſum eſſe velit ex eo, quòd de uſu illo colligendi, & repurgandi cerebri excrementa nulla fiat mentio in textu citato, an potiùs ex eo, quòd licèt talis mentio fieri ſupponatur, *ultimis* tamen *Authoribus* prædictus uſus nequaquam tribuatur. Si primo modo, obvium eſt unicuique concipere de enarrato uſu, quamvis non expreſsè, tacitè tamen ibidem mentionem fieri, cùm ex altero exploſo omnino iſte, ut monuimus, a Recentioribus ipſis paſſim, aut ſaltem communiùs inducatur, atque ideo nulla hic falſitas, modò res benè intelligatur; Si verò altero adducto modo: rurſus facile eſt animadvertere, antiquum uſum generandi ſpiritus animales reſpectu ventriculorum cerebri exploſum fuiſſe dici, cognita glandularum theoria, & ſeparatione ſucci in glandulis corticalibus cerebri &c. quæ porrò nova ſeu cogitata, ſeu inventa *ultimis* potiſſimùm *Authoribus*, ideſt qui ultimo hoc ſeculo ſcripſerunt, immo ipſi præſertim *Malpighio*, magna ſaltem ex parte debentur; Quare neque hic quidquam falſum. Aſt [inquit *Horatius*] *Cur hic reprehenditur ejuſdem* [intellige *Authoris Poſthumi*] *relatio circà ablatum cerebri ventricalis ſpirituum generandorum munus? Et cur, quæſo, veteres, qui idem aliquando cenſuerunt, hic adducuntur? Quaſi verè negaret ille extitiſſe unquam aliquem Anatomicum, qui alicubi illud ventriculorum munus improbaverit, cùm hoc ad ſummum affirmet, poſt Recentiorum labores paſſim a ſagacibus Medicis illam Doctrinam relictam eſſe*. Hoc ipſum interrogat, eodemque modò definit, de aliis veterum authoritatibus allatis ad oſtendendum, ipſorum quoque non paucis innotuiſſe: *Apoplexiam propter alias cauſas ultrà pituitam contingere*; item, *erratum de iecore calido, & ventriculo frigido cognitum fuiſſe independenter a cognitionibus Anatomicis* Ibid Ibid.

minimis, non minùs, quàm aliud de halitibus, & vaporibus in cor, & caput aſcendentibus, circa quorum hypotheſim nonnulla etiam, ut ſcis, a me ſupra fuerunt allata. Fatebor hic ingenuè, quod ſentio: Nolim hoc fundamento *Authorem Vigiliarum* iſta ac pleraque alia confutaſſe. Satis erat ſpreviſſe, tanquam extrà quæſtionem, & nihil ad rem facientia. Talia quippe ea ſunt, quæ etiamſi concedantur Recentioribus ſolis innotuiſſe, ac unicè per eoſdem in apertum protracta eſſe, attamen non novam aliquam practicam cognitionem, ſed æthiologicam tantùm inducunt. De hac autem nunquam lis mota eſt ab *Authore Vigiliarum*, ſed ſolùm de alia, ad cujus probationem nihil conferunt ſuperiùs allata. Quòd de cognitione Æthiologica litem non moverit *Author Vigiliarum* prædictus, immo quòd conceſſerit, poſſe hanc Anatomiæ etiam minimæ beneficio promoveri, ſatis teſtantur ejuſdem verba in *Diſſertatione de Recentiorum Medicorum Studio* adducta, quæ hujuſmodi ſunt: *undè nullum aliud lumen emicari poteſt, quàm ethiologicum, ſi verum, quòd poſt inventam Medicinam accomodatur*. Aſt quando voluit prædicta etiam aliter confutare, profectò ſatis fuit oſtendiſſe, illa etiam veterum non paucis innotuiſſe, *independenter a cognitionibus Anatomicis minimis*. Quòd autem ait *Horatius*, hoc ſaltem Recentiorū laboribus deberi, quòd non aliqui tantùm, ſed omnes paſſim ſagaciores Medici nunc illas opiniones repudient, quomodò tam ſecurè ſtatuat, non video. An quia (ut a primo ſingillatim incipiam) modus generationis ſpirituum per aſſertas glandulas corticales cerebri adeò in tuto ſit poſitus, ut de eodem ampliùs dubitare quis nequeat? An quia theoria glandularum ſit demonſtrata, quando plures in unum uſum, non pauci in alium eaſdem trahant, & quando nonnulli etiam ſint, qui corticales prædictas

ad-

adhuc in dubium revocent, quidam etiam, qui ſine illis generationem ſpirituum animalium, exemplo diſtillationis per canales ſerpentinos in Chimicis inſtitutæ, quibus vaſorum plexus in Cerebro æquiparari videntur, affabrè explicent, ut VVillis? Novæ iſtæ opiniones, novæ hypotheſes, nova ſunt cogitata, non novæ demonſtratæ Veritates, atque ideo magis quidem placere poſſunt, qua novæ, ſed non qua certæ. Præterea habent & ſcientiæ ſua fata. Retroactis ſæculis doctrinam Ariſtotelicam, contempta Democritea, paſſim amplexati ſunt omnes ſagaciores Philoſophi, nunc iſta illi paſſim præponitur, ſic ut ex hominum communiori acceptatione, quæ adeò inconſtans eſt, firmum ſtatui rebus pretium non poſſit. Apoplexiam (ut jam de ſecundo dicamus) propter alias cauſas ultra pituitam contingere, nulla certè unquam, quod ſciam, indicavit minima Anatome noſtrorum temporum. Multò minùs ope ejuſdem correctum fuit erratum de iecore calido, & ventriculo frigido, quod ut hypotheſi temperiei quatuor primarum qualitatum ſuperſtruebatur, ita ex ejuſdem potiùs hypotheſis cognita infirmitate, collapſum eſt. Omitto jam halituum in cor, & caput aſcenſum, quem alibi expendi, & mihi præ ſtupore vix conſto, quando ex *Horatio* lego, quòd *potiſſimùm diligentiores Anatomici illa* [hactenus ſcilicet memorata] *penitùs exploſerint, dum hepar ſanguificationis officio privarunt, atque ideò cætera hinc deducta comenta una opera ſuſtulerunt*, quaſi verò ideo jecur in ſcholis veterum calidum, & ventriculus frigidus diceretur, aut halitus in cor, & caput aſcendere ſupponerentur, quia hæmatoſis in hepate haberetur; qua etiam deſtructa, eædem tamen hypotheſes integræ, ac firmæ procul dubio ſtare potuiſſent. Omitto hic quoque, quod *Horatius* adjungit, ad hepar ſanguificationis officio privandum

Horat. Epiſtol. pag. 126.

dum

dum plurimùm contuliſſe diligentiorem *Malpighii* Anatomen, qua *hepar non parenchyma ſanguini coagulato affine, atque ideo, ut ajebant ad ſanguificandum idoneum, ſed merum glandularum acervum eſſe oſtendit*. Omitto id, inquam, cùm nihil ſit, quod tanti Viri gloriæ libentiſſimè nom adjiciam. Velim tamen *Horatium* hic reminiſci, *parenchyma ſanguini coagulato affine* neque unicam, neque validiorem fuiſſe rationem, qua moti ſunt veteres ad ſtatuendam in hepate hæmatoſin, ſed omnium fortaſſe infirmiſſimam: Velim reputare, aſſertam pro acervo glandularum hæpatis ſubſtantiam non ità ſolam bilis ſeparationem apud omnes importare, ut nihil conferat ad hæmatoſin, quam non improbabiliter cenſent aliqui magnoperè ſaltem adjuvari a bilis ſulphure, ope cujus ſanguinis tinctura ex chylo eliciatur, ut doctè diſserit Tachius, id præterea innuens in Chymicis conſtare, quòd nempe bilis tincturam ſulphuream inſtar rubini præbeat. Sed quantùm bilis hęmatoſin adjuvet, ex eo rursùs colligere licet, quòd nempe ipſius depravationem ſæpè conſequantur fœdi totius corporis colores, cachexiæ, hydropes, ac alia læſæ ſanguificationis manifeſta argumenta, inſuperque videatur Natura non minùs de ſanguine, quàm de hoc ſucco fuiſſe ſolicita, quo nullum ſanguineorum animalium carere, paſſa eſt: Quare ſublata etiam hepatica hæmatoſi, aliquod in Praxi mutari debuiſſe, aut mutatum eſſe, ut ſine probatione aſſerit *Horatius* conſtantiſſimè & nego, & pernego. Sed, quando etiam aliquid mutatum fuiſſe probaretur, nihil utique eorum, quæ ex ſolida experientia, verùm ea dumtaxat, quæ ex mentis præjudicio, falſaque hypotheſi fluxiſſent, hæc ruina fregiſset. Multa hujuſmodi fuerunt apud veteres, ſed multa item apud Recentiores. Et hoc ipſum eſt, quod volumus, labile nempe, ac cadu-

cum

cum in rebus Medicis exiſtere Philoſophicum ratiocinium, firmam verò ac inconcuſsam experientiam. Nam quamdiu Natura eadem manet, quæ eadem ſemper eſt, ac fuit, idem quoque manere neceſſe eſt, quod longus uſus proficuum deprehendit. Non ſic verò eadem manet varia illa pro ingeniorum varietate opinionum, ac dogmatum congeries, cui Artis nomen tribuimus, & de qua olim Plinius: *Mutatur ars quotidiè toties interpolis, & ingeniorum Græciæ flatu impellimur. Palamque eſt, ut quiſque inter iſtos loquendo polleat, Imperatorem illico vitæ noſtræ, neciſque fieri*, & ibid. paulò antè, *mirumque, & indignum protinus ſubit, nullam Artium inconſtantiorem fuiſſe, & etiamnum ſæpius mutari, cùm ſit fructuoſior nulla.* An verò inconſtantia iſta, ſeu frequens mutatio vitium ſit, quod præteritam fortè ætatem, nequaquam verò noſtram corruperit, tibi decernendum relinquo. Id ego ſanè experior, nova in dies procudi ſyſtemata, novaſque in ſcholis opiniones non minori fertilitate, quàm monſtra in Aphrica progerminare. Harum illæ, quæ novas ſaltem res proferunt, quæque altas iiſdem inſigunt radices, ex quibus vegetæ pullulent, profectò coli merentur; at verò aliæ plures, quæ aut novos cogitandi modos, aut ne iſtos quidem, ſed nova tantùm afferunt nomina, parum habent virilitatis, quàm gravia, multum pueritiæ, quàm levia delectent. Porrò ſuprà indicavi, ratiocinia merè *a priori* inſtituta circa res medicas ex iſtorum familia fore: quandoquidem neceſſe ſit ratiocinium Medicum practicis obſervationibus immergi, eaſque reſpicere, non tanquam terminum, ſed tanquam principium; cùmque rurſus ibidem oſtenderimus, quo ſenſu, quibuſve fundamentis *Authori Poſthumo* objecerit *Auctor Vigiliarum*, quòd ille voluerit *ex novis obſervationibus Medicinam a priori conſtare*; viſuſque ſit, hunc

Nat. Hiſt. lib. 29. cap. 1.

pag. 441.

terminum *a priori*, non quidem ad omnes *rigidè*, *&* *ſeverè*, ſed ad omnes *accomodè*, hoc eſt ad plurimas noſtri ſęculi cognitiones relatum, quaſi pro demonſtrativè accipere, jam & ea ſatis diluiſse me puto, quæ de re iſta *Horatius* hic repetit, ex iiſdem inaniter infe-
Horat. Epiſtol. pag. 119. rens: *quòd malè omnino Viri ſententia referatur*. Sed & illa incaſſum laborat tam, cùm quidquid in Praxi mutatum fuiſse ſupponit, poſt ſublatam (hepati ſanguificationem, *diligentiori Anatomiæ* (*velint nolint*) *po-*
pag. 117. *tiſſimùm referendum*, fatetur; quàm cùm ait, *nego omnia, quæ in Medicina facienda neceſſaria ſunt, ab eadem expectanda eſſe*: *Et qui Præceptorem tuum aliter credidiſ-*
pag. 117. *ſe, innuunt, illi hominem calumniantur*. Qui enim ſunt Calumniatores iſti, qui hominem ità crediliſſe innuant? Aut cur ipſe citatur: *Statim ſub initia ſuæ Reſp.* concedens, *che le tre Anatomie ſole, e ſenza l' ajuto dell' altre cognizioni non ſiano ſufficienti per fare un buon Medico?* De hoc ſanè nunquam mota eſt quæſtio, ut neque unquam illi affictum, quòd ità crediderit. Hoc quidem ſæpius inculcatum eſt, quod & ſæpius inculcari meretur, videlicet tempus illud, quod microſcopicis obſervationibus, vel quod huic comparatæ, vel quod demum dendranatomiæ (quorum ſingula, nedum omnia, pluſquam integram hominis ætatem deſiderant) operosè nimis impenditur, melioribus longè ac utilioribus notitiis circa morbos, & remedia acquirendis, totum ſubtrahi, cùm tamen brevis etiam in ordine ad iſta ſit vita, Ars verò longa, atque ideo pretium tempori ponere maximè oporteat. Præſtare idcircò, Empiricam illam non temerariam, ſed prudentem, non germana ratione, ſed ſuperfluis, aut ſaltem ſuperabundantibus inquiſitionibus, & phantaſticis ſpeculationibus ſpontè carentem amplecti, utpote quæ, ſpretis glandibus, fruge nos paſcat? Hanc damnaſſe,

aut

aut ſaltem damnare debuiſſe *Authorem Poſthumum*, non verò ejuſdem nominis aliam illam, quæ Agyſtarum, & Circumforaneorum eſt, uti hic contendit *Horatius*, etiam ſatis ſuprà numero VI. probavi.

Atque ità ex ſeptem propoſitis errorum generibus quinque jam confeci, quibus primæ huic Epiſtolæ longoque nimis quo me ſentio, teque puto fatigatum jam tædio finem impono. Reliquis ut promiſi, alia, quamprimùm licebit, Epiſtola, non deero; ſed ubi fidem apud te meam hac demum plenè liberavero, ſi quid impoſterum aut *Horatius* ipſe, aut aliis quicunque de hujuſmodi rebus ſcribant, non me certè ullius reſponſionis habebis Auctorem, de te enim mihi ſpondeo, quod abs me non ampliùs id petes, poſtquam his ſatis ſuperque perceperis, inaniter tempus ſic teri, & immeritum nugis pondus addi. Nam ſi non *plus centum & quinquaginta errores*, ſed & plures alios iis, quos retulimus, ſimiles *Authori Vigiliarum Horatius* objiciat, puto ſatis congruè de eodem Authore repeti ſemper poterit, illud Martialis

Si non erraſſet, fecerat ille minùs.

Vale interim, Leonarde, meque tui amantiſſimum perge adamare.

Dabam Bononiæ pridiè Kalendas Decembris 1709.

DOCTISSIMO, atque HONESTISSIMO VIRO

FRANCISCO SIMONI

PETRUS ÆGIDIUS OLANDUS

S. P. D.

I. ACcepi Epiſtolam tuam doctiſſimam, quam tuus ille Diſcipulus Patavinus mihi reddidit. Ea ſummoperè delectari viſus ſum, & quòd Amiciſſimum Sbaraleam ab injuſtis *Horatii de Florianis* accuſationibus vindices, & quòd id tam ſuaviter facias, tam doctè, ut mirari ſatis non poſſim ingenium, & modeſtiam tuam, quibus in ſcribendo uteris. Duo, quæ ab me petis Apologiæ nimirum ſuſceptæ *Judicium*, &

& *Complementum*, non alia ratione ſumam facienda, quàm quæ mihi coactu tuo eſt impoſita, conſcius, mandatis me tuis nunquam reluctari debere, aut poſſe: qui ſi minùs id præſtavero, atque ipſe feciſſes pro rei dignitate, nihil erit, quod de me multùm queraris, utpote qui ſcias, me illum eſſe, de quo pauca tantùm, eaque leviſſima tibi poſſis polliceri. Quamquam enim totus, ac ſæpe verſari ſoleam cum libris, iiſque Medicis, & Anatomicis: quamquam nulli publico, privatoque muneri, undè animus diſtrahi ſæpe ſolet, adſcribar; tamen de me, meiſque ſtudiis non ità ſentio, ut ſatis, me poſſe, credam deſiderio tuo, quemadmodum ipſe putas, atque ego velim, reſpondere. Nihil autem eſt, quod magis optem, quàm id efficere, ut intelligas, me non alia in præſentem controverſiam eſſe adductu-rum, quàm quæ de honeſtiſſimo homine expectari poſſint: nec dubito fore, quin id de me tibi perſuadeas, ubi mecum reputaveris, quemadmodum tibi *Vigiliarum Auctorem*, mihi amiciſſimum eſſe *Horatium de Florianis*, cujus veriori nomine, & conſuetudine ſæpe recreor. Ipſe enim ſum, qui malum alicui inferre poſſim, convicium verò non poſſim, neutrum tamen velim, aut debeam, quod ſatis eſt, ut probè conſtet, me non alia ratione hanc Provinciam ſuſcepiſſe, quàm ut Apologiam, de qua ſolicitus mihi admodum videris, pro tuo voto, & amore conficerem, ac pro viribus Sbaraleam ab Horatii impetu leniter, pacatoque animo vindicarem. Quod unum eò libentiùs faciam, quòd mihi videar in te Virum permodeſtum intelligere, ac de iis non ultrò ſolicitum, quæ doctrinalem attinent controverſiam. Totus enim in eo ſum, ut literatorum hominum conſuetudinem optem, & literaria quæque ex libris præ dignitate, utilitateque deligam, non dicteria, quibus plerumque, ut ipſe noſcis, prodeunt

Po-

Poſteris diſſidia, quàm quæ imitentur monumenta. Ac propterea, ut qui videor in ſucceſſionem tuorum ſtudiorum conveniſſe, id totum animo contendam, ne, dum tibi placere ſatago, cæteris diſplicendi cupidus videri poſſim. Etſi quidem ſum, qui in Paleſtram hanc tui, Amicique gratia conſcendo, eoque certè conſilio, ut integrè ab injuriis inferendis abſtineam, vereor ne quid litigii per Horatium adversùs me intentari poſſit, utpote qui fortè putet, audacter me falcem, ut dicitur, in alienam meſſem impoſuiſſe: quod ſi quidem aliquando contigerit, ut voce, vel ſcriptis me provocet, certamen non renuam, modò inter honeſtos limites doctrinalis controverſiæ coerceatur, & inter differendum ab amicitia non recedentes veritati magis, quàm officio tribuamus. Haud ſanè dubito fore, ut cùm meliùs res ità ſe habuerit, & diſputationi quiſque noſtrum laudabiliùs hac ratione ſe ſe præſtiterit, quin vel Horatius ipſe cavillos, & aſperſa ſalibus, moleſtaque verba præterfugiat, ne, quod utile ſtudium eſſe poſſit, omnibus improbum, tibique præſertim, Simoni cariſſime, quòd honeſta tantùm amas, videretur. Oh hominem nequam, quem ea ſcribere nihil pudeat, quæ alicui injuria ſint, nullique certè proficua, cujus ea ſunt generis omnia, quæ ab *Luca Terranova*, non pauca, quæ ab *Horatio Floriano*, ut vides, in Amicum tuum ſunt conſcripta. Enitar itaque diligenter, ut valeo (non admodum certè valeo) Horatii argumenta diluere; quod ſummatim ideo faciam, ne longiùs, quàm par eſt, Epiſtola protrahatur; atque etiamnum faciam, ut non omnino tibi, aliiſque multis diſpliceat, & quòd Adverſariorum libertatem ſcribendi non imiter, & quòd, ut ſoleo, ab omni verborum pompa, fucoque, quo ſæpe orationis vitia occultantur, abſtineam. Ea mihi quidem eſt diſputandi ratio, ut magis ad rem,

quàm

Senec. de Benef. lib. 4. Sen. Epiſt. 115. quàm ad ſtylum incumbam; qui ſi minùs hac de re alicui gratus videri poſſim, *tibi placere contentus in hoc dabo ut, quod oportet, faciam. Quid ſcribam, non quemadmodum*, ut verbis utar Senecæ, *& hoc ipſum* attentè didici, *non ut ſcribam, ſed ut ſentiam, & ut illa quæ ſenſerim*, veritatem magis, quàm dignitatem aſſequantur. Quod ubi fecero, Simon doctiſſime, quemadmodum ipſe poſcis, & amicè, & rectè, ſpero fore, ut abs te diligar, & ità me tuum fieri, ut alium quempiam omnium maximè. Ultimum tamen, quod velim eſt, ne me credas huic rei multam aut temporis, aut laboris poſſe impendere, aut velle, etſi honeſtatem cauſę intelligam, de qua certè admodum pauca debeo ad te ſcribere, ubi nulla ſit orationis elegantia, nulla ſuavitas, qua delectari poſſis. Interim niſi tuæ expectationi ſatis reſponderim, mihi ignoſcas rogo, optoque, ne tibi, vel uni videar defuiſſe.

II. Ad id itaque, quod primum eſt de *judicio* ferendo ad ea, quæ per te ſcripta ſunt, nihil præterea dicam, quàm quod tria præcipuè in te ex tua Epiſtola mihi notanda ſunt, modeſtia nimirum ſumma, gravitas, & doctrina, quibus facilè videri poſſis vel unica oratione, plura Adverſariorum vitia caſtigaſſe; quod eò laudabilius per te fuerit, ubi quiſque ex hac tua ſcribendi ratione ſibi normam capturus ſit honeſtiſſimè imitandam.

III. Nunc venio ad alterum. Duo [ut videor ex Epiſtola tua doctiſſima adnotaſſe] errorum doctrinæ genera, pręter quinque jam conſiderata expunctaque, ſuperſunt mihi examinanda, nonnullæque animadverſiones, quæ ab Horatio coronidis loco ſunt poſitæ. Primum genus eſt, *Sbaraleam ſibi ipſi non conſtare*. Alterum *in ratiocinando, atque inferendo malè, abſurdèque procedere*. Quæ duo, qui ſatis intelligo, quanta ſint,

ſint, quave ratione propoſita, ita de iis nihil quidquam te latere patiar; enitarque, ut vel ſingula ferè in Auctorem ſuum retorqueantur argumenta, quandoquidem videatur in id genus erroris identidem labi, quod plerumque, & obſtinatè quidem Sbaraleæ ingerit; atque ea ratione puniri mereatur, qua vel ipſe Auctorem Vigiliarum criminari viſus eſt, utpote qui cenſuerit inconſideratè nimis, vel uno in genere peccaſſe, de quo Malpighius frequentiſſimè accuſaretur.

IV. Et quod primum attinet, mirari ſatis nequeo, Horatium Sacramento contendere Sacramentum, & contra æquitatem, veritatemque juramento falſa reponere. Carpit enim Sbaraleam, quòd Malpighium inconſtantiæ damnaverit, parumque, vel nihil ſolicitum de contradictionibus dixerit; immo Sacramento affirmari poſſe crediderit, *vel ſui oblitum eſſe, aut ſcripſiſſe id, quod nunquam vidit*, & hoc præſertim, quia videretur vaſorum ſanguiferorum anaſtomoſes in renibus poſuiſſe, quas in hepate expreſsè negat. Ait enim Horatius. *Principium de uniformi naturæ operandi norma ita generale non fuiſſe* apud Malpighium, ut ad haſce anaſtomoſes referri debeat: quod unum tamen, quum pro ſua liberalitate, tanquam ex ſuppoſito conceſſerit, abſolutè negat in renibus admiſiſſe arterias cum venis, ſed arterias cum arteriis, venas cum venis *obviam ire, & anaſtomoſi uniri*, quod nullam involvit repugnantiam cum iis, quæ de hepatis vaſorum connexionibus tradidit documentis. *Ait ne ille vaſorum emulgentium afferentes ſurculos, ſive arterias anaſtomoſi uniri cum referentibus, ſive cum venis? An verò afferentes cum afferentibus, referentes cum referentibus, arterias cum arteriis, venas cum venis? Ego enim Sacramento affirmarem hoc ſecundum docuiſſe*. Congruenter,

Sbaral. Vigil. pag. 2. 3.

Horat. pag. 112.

Id. pag. 113.

ubi admiſerit Malpighius, vaſa hepatis ità invicem communicare per glandulas intermedias, ut nulla anaſtomoſi uniantur; debuiſſe uniforme artificium diſtributionis vaſorum in renibus admittere, patet ſatis, & quòd eadem in utroque viſcere anaſtomoſis repugnantia ſit, & quòd utrumque ex prædictis viſceribus glanduloſum dixerit, ſecretioni alicui deſtinatum; unde cùm ex Malpighio ea naturæ ratio uniformitatis ſit, ut ſecretionibus glandulæ tribuantur, & emunctoria quælibet ex glandulis ſint compoſita, ità verificari debuerit, quòd, ſi in hepate oportuit inter afferentia, & referentia vaſa medias eſſe glandulas, quibus ſecretionis munus haberetur, ità in renibus ſecernendæ urinæ deſtinatis eandem vaſorum cum glandulis communicationem eſſe admittendam: quod niſi per Malpighium verificetur, ſatis non percipio, qui ſit *conformis in ſingulis viſceribus operandi naturæ norma*, & quænam altera uniformitas Naturæ ſit intelligenda: Quare, ut difficultatem prædictam regereret Sbaralea adversùs Malpighium, vel ipſum *ſui oblitum eſſe* diceret, non opus erat, illud principium de uniformitate Naturæ admiſſum ità generale eſſe, quemadmodum Horatius aſſerit, nec ejus liberalitati quidquam deberi, qui tale quid fortaſse cum Antonino ſuo effinxit, ne reſponſionum copia defeciſse videretur. Ac ne illud quidem ipſe intelligo, quomodo Horatius Sacramento affirmare potuerit, in renibus Malpighium admiſiſſe anaſtomoſes inter arterias, & arterias, non verò inter arterias, & venas, quandoquidem plura ſint, quæ de oppoſito fidem faciant; quod ut ſatis innoteſcat, ne graveris, Simoni cariſſime, ſi te longiùs aliquanto patiar ſuper his immorari. Equidem, ut verum fatear, & qua ſoleo animi ingenuitate, & candore, ità obſcurum mihi viſum eſt de præfatis anaſtomoſibus aſſertum, atque adeò

Malpigh. in proœm. de Ren.

adeò

adeò incertum, ut non ità facile ſit ex conceptis ejus verbis, quam admiſerit, quamve negaverit, anaſtomoſin intelligere, juramentoque affirmare, præſertim ubi verificetur, utramque anaſtomoſis ſpeciem aliquando poſuiſse. Et ut quiſque ſatiùs ſe ipſum conſulat, veriuſque de hac re judicium afferat, ab re minimè puto fore hìc Malpighii textum adamuſſim expendere, quem reſtrictum nimis, ac veluti mutilum ex Horatio deprehendimus. *Emulgentes etenim arteriæ, & venæ cavum renum ſubintrantes in plures ſurculos, hoſque inſignes diſtributæ extenſum ureterem, qui pelvis dicitur, inter adipis molem excurrentes tandem, ubi appendices quædam, quas tubulos dixere, quæ circa papillas a pelvi elongantur verſùs gibbum, eodemque veluti ſacculo contentæ in arcum curvantur, aliiſque ramis obviam eunt, & anaſtomoſi uniuntur.* Et ſanè quis unquam ex prædictis potuerit anaſtomoſes inter arterias, & arterias, inter venas, & venas, & non aliter per Malpighium intelligere? Ea quidem eſt verborum æquivocatio, ut non ità facile ſit, rectam eorum explicationem tradere, quidve, quantique valeant determinare. Siquidem, ut ex ipſis intelligeretur, *arterias, & venas aliis ramis obviam ire*, & ſingulas propriæ Naturæ ſingulis *anaſtomoſi uniri*, ut fatetur Horatius, obteſtaturque, aliquid iis erat addendum, per quod ſingulari aliqua ratione præconceptæ anaſtomoſes indicarentur, præſertim cùm Anatomici communiter ab Eraſiſtrati, & Galeni temporibus in hanc uſque diem per anaſtomoſim, arteriarum cum venis, pauci verò arteriarum cum arteriis, & venarum cum venis inoſculationem intellexerint: quod ultimum porrò genus, ut a paucis, pauloque antè admiſſum, a pluribus negatum eſt. Vel enim per anaſtomoſim arteriarum cum arteriis, & venarum cum venis intelligitur ſola unius trunci in plures

Malpigh. de Ren. pag. 401.

 ſur-

ſurculos, & dein ſurculorum in alios ſemper minores diremptio, qua principium unius minoris rami majori altero tanquam baſi inſeritur; & hęc, ut omnibus nota eſt, ab nullis negatur, & impropriè talis dicitur: Vel unio quędam duorum ejuſdem Naturæ canalium per intermedium tubulum, ut in fœtu inter aortam, & pulmonalem arteriam; & hoc ipſum anaſtomoſis impropriæ genus eſt. Vel demum mutua quædam inoſculatio inter duo extrema ejuſdem generis vaſorum ab uno, & eodem reſpectivo trunco provenientium oſcula, quæ, ut a pluribus admittitur, a nonnullis negatur, a non paucis verò ſatis non intelligitur, utpote quæ rectè diſtributioni ſanguinis, nonnulliſque Naturæ indigentiis quodamodo repugnare videatur. Si itaque magis communiter, anaſtomoſis nomine, inoſculatio arteriarum cum venis, quàm arteriarum cum arteriis, & venarum cum venis intelligatur, quid ſentiendum erit de Malpighii textu, cujus ratio indefinita ſit, nulloque præcisè termino ad unam potiùs, quàm ad alteram anaſtomoſis ſpeciem indicandam prędita? Alterutrum ex his itaque dicamus, aut Malpighium malè propoſitionem indefinitam uſurpaſſe, ubi ſingularis vaſorum inoſculatio fuerat indicanda; vel Horatium, quod fortaſſe verius, Malpighii mentem aſſecutum non eſse, ac propterea in id genus erroris incautè lapſum, de quo quarto præſertim loco Sbaraleam criminari viſus eſt. Arteriarum ergo cum venis anaſtomoſim Malpighium in renibus poſuiſſe, ex eo ſatis deducitur, quòd eandem in liene, pulmonibus, inteſtinis, aliiſque in locis non modò non impugnaverit, ſed longè certiùs repetitis vicibus ſe detexiſſe dixerit. Quòd ſi quidem illatio hæc fallax aut ſit, aut eſſe poſſit, minimè fallax erit, quæ adducitur ab Auctore Vigiliarum inconſtantia, modò quæ negatæ ſunt

in

In hepate anaſtomoſes, niſi in renibus, aliis tamen in locis, & viſceribus admittantur; quod unum certè Horatio neutiquam prævisum eſt, qui non alia ratione Virum ab inconſtantia illata vindicat. Hæc autem verba Malpighii ſunt. *Etenim multum diſcriminis intercedit inter communionem conſuetam arteriarum, & venarum, & inter arterias in lienem hiantes, & venam ſplenicam, cum in arteriis, & venis vel adſit anaſtomoſis inter minimas illas propagines, vel tertio quodam, meatibus tamen minimis pervio conjungantur.* Præterea idem Auctor in prima ad Borellium Epiſtola inquirit -- *An hęc vaſa* [loquitur de ſanguineis] *in finibus, vel alibi mutuam habeant anaſtomoſim, ita ut ſanguis a vena reſorbeatur continuato tramite, an verò hiant omnes in pulmonum ſubſtantiam.* Problematis hujuſce ſolutionem in ſecunda ad eundem affert Epiſtola, quæ talis eſt -- *hinc patuerit ad ſenſum ſanguinem per tortuoſa vaſa diviſum excurrere, nec in ſpatia effundi, ſed per tubulos ſemper agi, & multiplici flexu vaſorum diſiici; nec novus eſt Naturæ mos extrema vaſorum ora invicem jungere, cum in inteſtinis, aliiſque partibus idem ipſa ſervet.* Si hæc ità ſint, quomodo per Malpighium verificari potuerit, dari in arteriis, & venis totius corporis anaſtomoſim, non item *inter arterias in lienem hiantes, & venam ſplenicam*, atque etiam *in pulmonum ſubſtantiam ſanguinem non effundi, ſed per tubulos ſemper agi*, niſi cum venis arteriæ inoſcularentur ea anaſtumoſis ſpecie, quam Sacramento negat Horatius? Audiamus iterum Malpighium -- *quin immo, quod mirabilius videbitur, venarum fines ſuperiores ſcilicet cum inferioribus ſpectabili invicem Natura nectit anaſtomoſi, ut optimè obſervavit doctiſſimus Fallopius.* Si igitur mirabilius eſt, venarum fines cum venarum finibus necti, minùs mirabile fuerit, aliam anaſtomoſim haberi, quæ nul-

Malpigh. Biblioth. anat. de lien. pag. 380.

Id. 1. part. pag. 966.

Id. 1. part. pag. 968.

Idem pag. eadem.

nulla certè eſſe poteſt, quàm quæ inter arterias, & venas intercedere viſa eſt, quandoquidem altera arteriarum cum arteriis nec majorem, nec minorem, quàm quæ venarum eſt, admirationem pariat. Sed præſtat hic alteram animadverſionem addere. Poſteaquam Malpighius ſibi propoſuerit examinandum, an arteriæ cum venis intrà pulmones inoſcularentur, & tanquam quid dubium in præcitata prima ad Borellum Epiſtola dixerit, hæc in altera ad eundem Virum Epiſtola ſubdit. Idem pag. 969. *Ex his etiam ſumma cum probabilitate illud ſolui poteſt de mutua vaſorum unione, & anaſtomoſi; etenim ſi ſemel intra vaſa Natura ſanguinem voluit, & vaſorum fines in rete confundit, probabile eſt etiam in aliis anaſtomoſin jungere*. Concludit itaq; doctiſſimus Auctor, dari anaſtomoſim, de qua antea dubitatum eſt, quę cùm ea fuerit arteriarum cum venis, ſatis, ut arbitror, evincitur, non voluiſſe in renibus eam anaſtomoſim inficiari, quam in pulmonibus, aliiſque partibus manifeſtè probat, deducitque; minuſque hac de re contemnendum videri Sbaraleam, quòd talem interpretationem evulgaverit. Sed quid hęc fuſiùs argumentatione elicio, de quibus jam planè ſcientia habetur, manifeſtaque explicatio. Malpigh. Op. Poſt. pag. 48. *Interiùs autem ſupra arearum, & veſicularum extremos limbos lata, & manifeſta occurrit vena, quæ ſuis copioſis propagationibus occurrens arteriarum ramulis anaſtomoſi nectitur*. Poteratne explicatiùs id omne per Virum ingenuum enodari? Poteratne quidquam ſatiùs ad delendam omnem æquivocationem pro Sbaralea regeri? Nihil certè; nec ullus fortè fuerit, qui vel unum hoc ingenioſè velit, aut poſſit contendere, etſi notet, Malpighium in Opere Poſthumo de vaſorum diſtributione, nexuque loqui in pulmonibus Ranarum, non Hominum; quod Malpigh. de cortic. cereb. pag. 83. herclè majoris eſſet inconſtantiæ, Virum ipſum redarguere, qui ſæpe *eandem eſſe omnium animalium ſtructuram*

rum edocuit, eandemque in omnibus operandi Naturæ normam tradidit pugnaciſſimè. Quantum verò attinet ſingularem eam inter arterias, & arterias, ac inter venas, & venas decantatam inoſculationem, nihil prætererea dicam, ubi nuſquam, quod conſtet, ab Auctore Vigiliarum improbetur, quemadmodum falsò putat Horatius, qui in hanc rem comprobandam, & VVilliſii, & Verheyenii verba congerit, adducitque inutiliter multiplicia: Ac quàm hæc aſtutè proferat, te porrò non præterierit, Simoni doctiſſime, ubi ſatis animadvertas, VVilliſium,& Verheyenium ſibi in patrocinium aſſumere pro ea anaſtomoſi, de qua nulla certè fuit Sbaraleæ dubitatio, & id non alia ſanè ratione, & conſilio, quàm ut plures fortes Viros in Sbaraleam provocet, majoremque Adverſariorum numero ei vim inferre queat: hinc aptè cum Satyrico. *Nec aliud in callidis, aut imperitis adverſariis horreſco, quàm peſſimam artem ſubornandi in odium meum non intactos mihi tantùm, ſed etiam laudatos*. (Euphor. Apol. pro ſe pag. 320.) Tametſi quidem plures vel ſolertiſſimi Viri ſint, qui prædictæ anaſtomoſis ſpeciei pugnaciter repugnent, multaque proſtent argumenta, quibus ſolidè convellatur, nullibi, quod ſciam, ſe in hanc litem dirimendam induxit Sbaralea, contentus hìc Antagoniſtæ, vel ſi mavis Naturæ inconſtantiam adnotaſſe, ubi in hepate non effecerit, quod in renibus effeciſſe dictum eſt.

V. Atqui jam ad alterum deſcendamus argumentum. Damnat Sbaraleam Horatius, quòd malè referat Viri ſententiam, malèque intelligat; quo in loco tantam ego certè non invenio errorum copiam, ut iis ſupputandis advocandus ſit Antoninus. *Volo numeres Antonine*, ſunt Horatii verba, *quot erroribus in his paucis verbis conſcribendis noſter labatur*. (Horat. pag. 124.) Hìc notari velim Horatii artificium, qui ad infirmandam Sbaraleæ aucto-

toritatem, immò ad contemptum illius, quod pejus eſt, paucis unius, vel alterius lineæ verbis multos ſibi fingit errores, & de uno ſuppoſito plures adducit, adſtruitque fictitios. Poſtquam autem Sbaralea auctoritate fretus magni nominis Anatomicorum anatomicæ ſectioni comparenda ſana corpora propoſuerit, quantum iis ex morbo accidat mutationis, ſtatim ratione comprobat, adducto figuræ, quæ alteram organici morbi diviſionis partem conſtituit, fundamento. Quemadmodum in cæteris, ità in hac, quæ figuram reſpicit, proprietatibus per vim morbi partes organicas immutari ſuſtinet, nedum extrinſecè, & in majoribus, ſed etiam intrinſecè, & in minoribus mole componentibus, quod unum vel ipſis Malpighii verbis confirmat, qui conicam lobulorum hepatis, & piſo ſimilem figuram aliquando cubicam evaſiſſe ex Moebii obſervatione teſtatus eſt. *Ad ſingulas vaſorum propagines, licèt etiam exiles lobuli appenduntur conicam ut plurimùm ſervantes figuram -- In aliis animalibus lobulorum figura piſum æmulatur, & in fele ſex, aliquando plura latera obſervantur, in homine idem adamuſſim reperies, unde Moebius in humano hepate lapides teſſararum figuram æmulantes vidit: erunt autem procul dubio hepatis lobuli concluſo, & concreto tartaro petrificati.* Quarè vel dicendum ex Malpighio, immutatam per vim morbi fuiſſe lobulorum figuram, utpote quæ conica, & piſo ſimilis teſſeram aliquando æmularetur; vel inconſtantiæ meritò damnandum, quòd conicam, & piſo ſimilem figuram lobulis adſcriberet, quæ ſex, aut plurium laterum in fele, & homine per concretum tartarum deprehenderetur. Ex quibus porrò ſatis evincitur; primò, Sbaraleam haudquaquam Virum inſimulaſſe, quòd dixerit *tantùm*, *&* *abſolutè* exagonam figuram in acinis obſervari, ut putat Horatius: id enim, nec ipſe dixit, nec

Malpigh. de hep. pag. 362.

nec alterum dixiſſe protulit; minùſque quod ſecundo loco objectum eſt, prædictas omnes lobulorum, & acinorum figuras præternaturales appellaſſe, ſed eas minimè Naturæ uniformi eſſe tribuendas, quæ talis neutiquam eſſe poſſet, ubi ſimilium componentium diſſimilem effeciſſet configurationem; ſic etiam ad tertium, quod objicitur, reponendum eſt, non ideo Malpighium culpatum eſſe, quia approbaverit figuram cubicam ex Moebio in lobulis, vel acinis, aliàs conicam, & piſo ſimilem præſeferentibus, utraque enim ex his figura poterat eſſe naturalis; ſed quia talem ex hac figurarum diverſitate Naturæ difformitatem ultrò concedere videretur, pro qua impugnanda multa, ac ſæpe retulit argumenta. Illud idem quandocumque attendamus in quarto, & quinto errore hìc loci adverſùs Sbaraleam ab Horatio propoſito, nullus dubito, quin cuique facile ſit intelligere, non eam eſſe Malpighii notandam contradictionem, quæ ex præconcepta lobulorum, & acinorum diverſa figura deſumeretur, ſed quæ diſſimilem Naturæ operandi modum argueret, præſertim cùm ipſe ſit, qui undique Naturam in animalibus, atque animalium organis ex æquo uniformem eſſe velit. At nolim videri, aut eſſe Malpighio injurius, qui Sbaraleæ partes acturus, eum aliquando videar, atque cogar inſectari.

VI. Poſt hæc ad alia tranſit Horatius, & ea, qua ſolet arte, inter multiplicia, ſolidioraque argumenta a Sbaralea propoſita, infirmiora colligit impugnanda. Carpit Virum hunc, & quòd de Malpighio ſcripſerit. *A veritate coactus iterum concedit, anatomen plantarum non inſervire remediorum inventioni*, & quòd eundem hiſce condemnaverit. *Sed ſicut hucuſque nobis imponere conatus, ità paulò poſt veritatem confeſſus eſt, & nobiſcum convenit, remedia ſpecifica cardiaca non eſſe ex prædictis* Sbar. Vigil. pag. 511. Id. pag. 516.

 dictis

dictis obſervationibus reperta. Quanti hæc duo ſint, & quo jure in Malpighium ingeſta, ut ſatis, Simoni, intelligas, nihil hìc paucis te pigeat controverſiæ ſtatum animadvertere. Gottingæ prodiit anno 1687. Epiſtola *de Recentiorum Medicorum Studio* inſcripta, qua nedum ſolidè probatum eſt, minimam Anatomen, & Zootomiam, ſed etiam Dendranatomen parùm, vel nihil practicæ Medicinę inſervire. Non antea ad ſe Malpighius Epiſtolam advocavit, eamque in ejus ſtudia elaboratam eſſe credidit, quàm priùs intelligeret, Auctorem illius fuiſſe Sbaraleam, qui penès ipſum, uti malæ fidei videretur, ità malo dolo, atque ejus tantùm exiſtimationis contemptu eandem evulgaſſe, voluit, quod ex Poſthuma Reſponſione colligitur. Et quoniam factum fuerit, ut, vel ex iis, quæ in Epiſtola ſunt tradita, vel alia quapiam de cauſa, Malpighius falſitatem dignoſceret illius propoſitionis aliàs a ſe editæ, *anatomiam ſcilicet plantarum eſſe viam ad domandas infirmitates*, eandem in Opere Poſthumo in diverſum convertit ſenſum. *Hic opus eſt repetere id, quod à principio dixi, Recentiores, qui ſtudium in anatome plantarum collocarunt, meque præſertim (id enim omne in me cadit) in hoc non laboraſſe ad medicinam practicam, & eruenda remedia, ſed ad illuſtrandam illam partem Naturę adhuc ignotam, & cognitiones augendas hiſtoriæ naturalis beneficio*. Igitur vel dicendum, inſtitutam eſſe Anatomiam plantarum, ut haberentur remedia ad domandas infirmitates, & in hoc caſu Malpighii poſthuma pugnant cum non poſthumis; vel ad incrementum tantùm hiſtoriæ naturalis, & ſic principale inſtitutum Sbaraleæ conceditur, quod eſt, Dendranatomen medicinæ practicæ non inſervire; benè verò ad illuſtrandam philoſophiam utilem admodum eſſe, & laudabilem, ut in Vigiliis ſæpe repetit. Quarè hìc qua ratione nota-

Malpigh. de plant.

Idem Oper. Poſthum. pag. 32. 33.

ri velit Horatius ab Antonino ſuo, *an idem ſit nullatenus inſervire, & immediatè non inſervire,* ſatis non intelligo, quandocumque neque id ſuppoſitum ſit ab Auctore Vigiliarum, neque a Malpighio negatum, qui illud unicè ſciri voluit, *anatomiam plantarum non eſſe factam, ut immediatè haberentur remedia, ſed ad illuſtrandam illam partem Naturæ adhuc ignotam &c.* Ac propterea tota diſcriminis ratio non cadit eo loci ſuper hoc, quod eſt, plantarum ſtudium immediatè inſervire, vel non inſervire remediorum inventioni, ut malè putat Horatius, ſed ſuper hoc, quod eſt, eſſe, aut non eſſe factum ſtudium plantarum, ut immediatè haberentur remedia; quod ultimum ita a Malpighio conceſſum eſt, ut, cùm ad incrementum dumtaxat hiſtoriæ naturalis comparaverit, mirum poſtea videri debeat, quòd illud idem ſtudium ad domandas infirmitates viam eſſe crediderit, atque affirmarit. Manifeſta quoque Horatii hallucinatio deprehenditur, ubi hæc habet. *An credidit* (ideſt Sbaralea) *Lectores pro una, eademque re eſſe accepturos* „& licèt non reperta „eſſent, & licèt non reperta ſint„ *ſuppoſitionem ſcilicet, & conceſſionem?* Quaſi quòd propoſitionum altera, quæ ad tempus præteritum refertur, *ſuppoſitionem*, altera, quę ad præſens *conceſſionem* involveret, quod tibi, Simoni cariſſime, dijudicandum relinquo.

Horat. pag. 125.

Malpigh. Biblioth. Oper. Poſthum. pag. 34.

Horat. pag. 126.

VII. Neque præterea mihi ſatis conſtat, qua ratione Horatius hoc altero in loco Sbaraleam incuſet, quòd malè intellexerit Malpighii verba, eaque ſibi contraria dixerit. Hæc autem illa ſunt. *Infuſi liquores per arterias, etſi glandulas repleant, non tamen urinę vaſa penetrantes unquam obſervare potui*; & ubi de liene. *Idem in renum minimis glandulis accidit, quorum interior pars atramento per arterias injecto nequaquam inficitur.* Qua autem ratione, & conſilio iſthæc invicem

Malpigh. de. Ren. pag. 285.

Malpigh. de Lien. pag. 379.

concilientur ex ſequentibus Horatii verbis deprehenditur. *Interim non video ego hanc omnimodam oppoſitionem; aliud enim eſt interiora glandularum liquore repleri, aliud eſt interiora glandularum atramento inſici; non enim quocunque ſubtilis aliquis liquor penetrat, illuc quoque craſſiores atramenti particulæ queunt penetrare;* quaſi quòd liquor ille, quo glandulæ replebantur, fuiſſet diverſus ab atramento, quo nequaquam inſici, dictum eſt: vel ſi unus, & idem eſſet, ſpeciali quodam delectu ab renum glandulis, ſecluſis nigricantibus, limpidiores tantùm, ſi quæ ſint, atramenti partes admitterentur, quod intellectu cuivis valdè difficilè videri debet, ubi nulla præceſſerit nigricantium partium præcipitatio, nullave aliarum, cum quibus intimè miſcebantur, uniebanturq; diſſolutio. Non antea enim per totum corpus, aut lotii, aut lymphæ, aut cujuſpiam alterius liquoris e ſanguine naturalis ſecretio fit, quàm priùs ſecernendæ partes intrà ſanguinem exundent, reſpuantque cæterarum commercium, ac intimam admixtionem: Sic enim in febribus, aliiſque effectibus a tumultuario ſanguinis motu, & perturbatione provenientibus, ſecretionum fontes ſtipantur, ac modicè fluunt liquida ſecernenda, non alia certè ratione, niſi quòd majorem, quàm par eſt, cum cæteris ſubeunt admixtionem, cum iiſque præter modum confunduntur. Sed demus Horatio, potuiſſe id aliquando contingere, nimirum ex atro liquore infuſo potuiſſe glandulas limpidiorem partem tantùm admittere, eaque repleri, ſecluſa nigricante, eritne poſtea verum id contigiſſe in allato Malpighii experimento? Neutiquam certè, ſi fides ipſi habenda ſit. *Nec evidenter demonſtratur immiſſo colorato liquore per arteriam emulgentem, nam eodem inficiuntur colore glandulæ.* Igitur non ità craſſum rejiciunt glandulæ renales fluidum, ut ſubtilem aliquam

Horat. pag. 127.

Malpigh. Biblioth. pag. 399.

quam

quam tantùm partem ingerant, a qua infici neutiquam poſſint. Meliùs itaque fuiſſet, Horatium hæc, atque alia ſolet multa, ſilentio præteriiſse, qui cùm ea tantùm adduxerit, quæ cùm iis ab Auctore ſuo propoſitis non conveniant, in id genus erroris denuo labitur, de quo ſæpe Sbaraleam inſimulat.

VIII. Non alia ratione fallitur Vigiliarum Contemptor hoc alio in loco, ubi aſſerit, *nullam eſſe repugnantiam inter hæc duo; Polypi materia eſt reticularis ſanguinis portio, & Polypi materia eſt tota concreti ſanguinis moles*: quandoquidem nullibi, quod conſtet, a Malpighio dictum ſit, ac ne quidem ſomniatum, unum, & idem eſſe reticularem ſanguinis portionem, & totam concreti ſanguinis molem; quod apertè colligitur ex his ejuſdem verbis -- *quare ſenſus ipſe nobis indicare videtur, ſanguinem hunc album, & reticularem plexum, totum concreti cruoris corpus firmare, & potiori ipſum donare corporatura*. Cùm itaque reticularis ſanguinis portio concretum ſanguinem firmet, eique majorem tribuat corporaturam, ipſum non conſtituet, etſi quidem partialiter, totaliter certè non conſtituet, quod foret neceſſarium, ut unum, & idem eſſet reticularis ſanguinis portio, & tota concreti ſanguinis moles. Sicuti malè quis diceret. Quia opium ingreditur compoſitionem Theriacæ, opium eſt unum, & idem cum Theriaca; ità, quia portio reticularis ſanguinis ingreditur totam concreti molem, malè abſurdèque infertur, portionem reticularem eſſe unum, & idem cum tota concreti ſanguinis mole. Mittam hìc afferre ex Malpighio ad conſtituendam totam molem concreti ſanguinis, concurrere portionem ſeri concreſcibilem, quæ quid certè diverſum eſt a ſubſtantia reticulari, ac propterea ſubſtantiam ipſam reticularem non conſtituere totam concreti ſanguinis molem.

Horat. pag. 127.

Malpigh. Biblioth. pag. 958.

IX.

IX. Nunc autem perpendamus, quo jure Horatius pronunciet, haſce Malpighii propoſitiones, ſive dogmata, *papillas implantari in cute ; altas habere radices in ſubjecta cute &c.* egregiè componi cum hoc altero dogmate, *papillas eſſe nervorum extremos fines cutim perforantes*: nam, ſi quidem verum eſſet, eſſe idem habere radices in cute, & perforare cutim, verum etiam eſſet, papillas eaſdem habere radices in corpore reticulari, & in cuticula, cum & corpus ipſum reticulare, & cuticulam perforet, ut vel ipſe Malpighius aſſerit. *Hæc verò*, ſcilicet capitula aſſurgentia &c. *Sunt papillarum fines, dum a cute aſſurgentes interpoſitum ſuperant rete, ſimulque extimam cuticulam.* Itaque illud aſſerere ita diſconvenit, ac ſi quis diceret, Plantam ſubter aquas ſolo infixam, eque rivo aſſurgentem habere radices in aqua, vel quod aptiùs, pilos cuticulam perforantes habere radices in cuticula, quod manifeſtè falſum eſt.

Malpigh. Biblioth. de ext. tac. org. pag. 29.

X. Alterum, quod Horatii conſiderationem non meretur, ut ait ipſe, illud eſt, unde Malpighius damnari viſus eſt, qui dixerit, è nerveis papillis nihil exſudare, cùm alibi affirmaſset, eſse propagationem nervorum nerveum ſuccum deferentium. Et ea id præſertim ratione conſiderationem non mereri dictum eſt, quia *non idem ſit, quod è papillis nihil exſudet, ſive nihil proſiliat, veluti è glandulis proſiliret, & quod papillas nullum omnino fluidum afluet.* En ubique figmenta ſunt, & ſophiſticæ prorſùs rationis vitia. Et ſanè quiſnam eſt, qui ignoret, non eſse idem actuari papillas ab incurrente fluido, & proſilire aliquid è papillis? Immo neque idem eſt, nihil è papillis exſudare, & nihil veluti è glandulis proſilire, quod putat Horatius, cùm extremitates papillarum ea, qua glandulæ, folliculari ſtructura non gaudeant. Cæterùm ſi

Horat. pag. 128.

ſi ex nervorum propagationibus conſtituuntur papillę, eodem, quo nervi, pro actuatione irrigari debent excurrente ſucco, quod Malpighius aſserit, qui ſuccus, cùm nec diutiſſimè intra ipſas contineri poſſit (etenim ex continuo affluxu præter modum, immenſeque tumerent) nec ad principium ſui motus regredi, quod mechanicis naturæ legibus obſtat, erit dicendum ab ipſis contentum fluidum exſudare, diffluereq;, non ea ratione quidem, qua e glandulis cutaneis proſilit ſudor, ſed qua inſenſiles halitus per cœca perſpirationis foramina egrediuntur.

XI. Parum quoque veritati conſona videtur illius propoſitionis Malpighianæ: *eadem eſt omnium animalium ſtructura*: explicatio, ſi tantùm intelligenda ſit de inſtrumentis iis Naturæ, quæ analogicè ad eandem mechanicam reduci poſsunt, ut ex Opere Poſthumo Malpighii deducit Horatius, nam in hoc ſenſu vel ipſa artefacta ab animalibus non differrent, & eorum quoque eadem eſset cum animalibus ſtructura, tametſi per ſe nullam corporis animalis ſpeciem præſeferre videretur, ut Horologia ſunt, atque hydraulico - pneumatica machinamenta, quorum diverſa prorsùs inſtrumenta ſunt ab iis, quæ in animalibus extant, & tamen æqua ratione, atque analogicè ſaltem ad eandem mechanicam reduci poſſunt. Non inficior tamen, ut puto, Sbaraleam non inficiari, in omnibus animalibus dari quaſdam univerſales Naturæ leges operandi mechanicè per motum, pondus, figuram, aliaſque proportionum vires, quæ ut in omnibus ſunt, ità in nullo ſunt eædem, præſertim ſi ſermo ſit de hominibus, & imperfectis brutis, quæ tantum inter ſe diſtant. Haud enim hìc ſcias oportet, Floriane mi, & de hoc æquo animo patiaris a me moneri, inſtitutam inter celebres Viros Sbaraleam, & Malpighium fuiſse quæſtionem,

an non

an non animalia omnia per vim mechanicam agant: id enim ultrò conceditur ab omnibus; quæ ideo ſimilia dici poſsunt, quòd mechanicæ legibus ſubjectentur; ſed difficultas eſt, an eadem mechanica, quæ in aliquibus pręſtat, in omnibus deprehendatur, & quæ ſtructura in imperfectis, in omnibus perfectioribus habeatur, quod ità falſum eſt, ut nihil magis. Et ſanè quis neget non eſse eandem partium conformationem in Inſectis iis, quæ, tametſi duriſſimas Oſtreorum teſtas corrodant, ſentiant, moveanturque, ſi vel levi digito tangantur ſtatim difluunt, planèque in maſsam fluidam diſsolvuntur? Eruntne in hiſce admittenda inſtrumenta ea, quibus perfectiora ad eſcam triturandam, ad motum, & ſenſum obeundum ſunt prædita? Etſi quidem talia admittenda ſunt, unde hoc, quod tam facilè illorum membranæ, dentes, muſculi, & quidquid ad horum actionem eſt neceſsarium, ut ad vehendum pro motu, & ſenſu fluidum diverſi generis vaſa, ad impellendum cor, ad ſecernendum glandulæ, aliaque multa actionibus iis, vel perficiendis, vel conſervandis neceſsaria, unde, inquam hoc, quod tam facilè defluant, liquenturque, ſi quæ molliores adhuc ſunt partes in animalibus perfectis arte vix ulla diſſolui queant? Dantur Teſtacea multa, quæ tactu viſionem habent, auditu tactum Inſecta. Dentibus cominuunt alia cibum, fermento alia diſsolvunt. Alia glandulis ſecernunt fluida, præcipitante dumtaxat menſtruo alia ſegregant. Quæ quidem ea ſunt inſtrumenta, ut nec planè ſimilia dici poſſint, nec ad eandem mechanicam ulla ratione referri.

XII. Ea modò perſequor, quæ ità Vigiliarum Auctori objiciuntur, ut qui alios inconſtantiæ damnaverit, dicatur multis in locis contradictione laboraſse, quod utrum verum ſit, an non, antequam videamus, præ-

præſtat aliquid illius, quæ intercedit, differentiæ, afferre, inter hoc, quod eſt mutare ſententiam, & ſibi ipſi contradicere, tametſi id vitio Sbaraleæ neutiquam imputari queat, ubi candidè, ſe, ſuaſque ſententias mutaſſe fateatur. Ea enim eſt contradictionis ratio, ut hęc una tantùm habeatur inter duo repugnantia, quæ ſimul, & ſemel de eodem æqualiter affirmentur: ut ſi quis exempli cauſa aſſereret: plantarum anatomen eſſe univerſaliter utilem praxi medicæ: plantarum anatomen non eſſe univerſaliter utilem praxi medicæ; quæ propoſitiones, utpote quod ambæ ſimul verificari non poſſint, earumque alterutra ſit falſa, citrà contradictionis notam Philoſophorum nemini ſunt habendæ, & de hiſce tantùm vel expreſsè dictis, vel ſermonis inconſtantia illatis locutus eſt Sbaralea condemnandis. Altera verò contradictionis ſpecies videtur, etſi quidem talis non eſt, mutare ſententiam. *Nemo doctus mutationem conſilii inconſtantiam dixit eſſe*; præſertim, ſi quæ ex oppoſitis amplectimur, congruenter ad ea, quæ finis intenti ſunt, reſpicere videantur; hinc ex D. Auguſtino Sbaralea. *Neque enim quiſquam, niſi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit -- Magiſtros autem plures tunc fieri exiſtimo, cùm diverſa, atque inter ſe diverſa ſentiunt*. Quæ ſanè verba, Sbaraleam non intellexiſſe ideo protulit Horatius, quia qua ratione adducerentur ſatis ipſe non intellexit.

Cic. Att. lib. 10.

D. Aug. Retract. Prol.

XIII. Adeamus nunc alia, in quibus ità Vigiliarum Auctorem mutare ſententiam, aſſeritur, ut mutationem, vel diſſimulet, vel non advertat. Et quòd primum attinet, mutationem ſcilicet, quam diſſimulat, vereor, ne Horatius præcipitanter id nimis affirmet, quod tertium erroris genus eſt, aut, ne ſatis Viri mentem intelligat, quod quintum, quandoquidem rigoro-

sè nimis procedat, & in eo præcisè ſenſu, cujus ſunt, Auctoris verba non explicet. Fuit Sbaraleæ opinio celebris, Medicum principale ſtudium, quod inchoaſſe Hippocratem conſtat, morborum obſervationibus, cauſarum, effectuum, omniumque, quæ ad rectam medendi normam inſtituendam faciunt, ità Clinico eſſe attendendum, ut meritò ii damnandi ſint, qui cùm Medicinam facere velint, primumque ſibi in praxi nomen aucupari, iis dumtaxat ſtudiis incumbunt, quæ, uti multum augendæ hiſtoriæ naturali, parum, vel nihil Medicinæ practicę poſſunt inſervire: quare, quemadmodum non immeritò dixit Verulamius, Hippocraticam Medicinalium narrationum continuationem deſiderari, tametſi eodem tempore Ballonius, Platerus, Foreſtus, aliique Medicas conſultationes ſcripſerint, ità injuſtè facis, qui Sbaraleam culpas, quòd ediderit, idem hoc ipſo tempore ſtudium deſiderari, quo VVilliſius, Dechers, Ettmullerus, aliique plures, ut Malpighius aſſerit, morborum hiſtorias referunt, atque conſiderant, cùm eorum nec principale ſtudium ſit, nec *more hippocratico factum, ſed ſine remediis, aut ſine hac, vel illa circumſtantia temporis, ętatis, loci*, aut alio quopiam, quod ad praxim opportunè dirigendam ſit neceſſarium. Atque hinc planè puto ſatisfactum iri Horatio, ne ampliùs miretur, ſi pro una, & eadem re ſumatur id, quod eſt *deſiderari continuationem ſtudii hippocratici, & deſiderari complementum*, quandocunque complementum hocce non appellet finem, cujus gratia inſtitutum eſt ſtudium hippocraticum, ſed modum tantùm, quo inſtitutum eſt inter determinatas circumſtantias loci, & temporis, ętatis, ac temperamenti, aliorumque in denatis obſervandorum, quæ a præcitatis Neotericis non attenduntur imitatione ſaltem rigoroſa, ità quòd meritò dici poſſit, & deſiderari

ri continuationem ſtudii hippocratici, & deſiderari complementum, tanquam duo invicem componenda, ex quibus nulla ſententiæ inconſtantia deprehendatur. Ut autem ex his minimè conſtat, Virum ſententiam mutaſſe, aut mutationem diſſimulaſſe, minùs certè id etiam conſtabit ex locis Vigiliarum adductis, in quibus pro Medicina opportunè, & prudenter facienda, adſtruitur neceſſitas inveſtigandi morborum cauſas in fluidis latentes: quod ſi quidem aliqualiter per Graafſium, De le Boe Sylvium, Nuchium, Boyleum, alioſque factum ſit, non ea tamen ratione factum eſt, ab Authore noſtro indicata, comparando nimirum naturalia cum morboſis fluida, ut falsò putat Malpighius, adductis Boylei, & Nuchii auctoritatibus, quorum neuter certè comparationem eandem inſtituit, ut apud ipſos videre eſt; hinc nihil mirum, quòd ab Auctore Vigiliarum dictum ſit, reſponſionem Malpighii *movere potiùs pietatem, quàm admirationem*, quod de Horatio ipſo dici poſset, quandoquidem, nec mutationem ſententiæ in Viro clariſſimo ſatis probet, nec unde, ſe mutaſſe ſententiam diſſimulet, ulla ratione ex adductis ejus verbis conſtet. Sbaral. Vig. pag. 475.

XIV. Ohe jam progrediamur ad ea, *in quibus ſe ſibi non conſtare, omnino non ſentit*, & videamus, num æquiùs hoc ipſi objiciatur. Reprehenditur itaque Vigiliarum Author, quòd cùm cenſuram propoſuerit in Poſthuma reſponſione, & ab ea immunia non poſthuma declaraverit (ubi verò declaraverit, non adducitur, neſcio qua ratione, vel arte) veluti oblitus ſui in prima Vigiliarum pagina hoc aliud affirmet, inter poſthuma, & non poſthuma nullam, vel modicam differentiam in genere ſcientifico intercedere. Præterea redarguitur, quòd innuat inventa anatomica *caſui potiùs, & fortunæ deberi, quàm ſagacitati*, quum paulò Horat. pag. 132. Sbaral. Vigil. pag. 247.

poſt contrariam huic ſententiam præſeferre videatur, his verbis, *ad detegendas res ignotas non ſufficere judicium paucis conceſſum, cùm potiſſimùm diſcurſus requiratur*. Eòuſque, ut vides, Amice, ex adductis, proceſſit Horatii redarguendi libido, ut, cùm velit inconſtantiam Sbaraleę oſtendere, majorem Malpighii contradictionem detegat. Vel enim Malpighii poſthuma conveniunt cum non poſthumis, vel non: Si primum, jure ne, an injuria damnabitur Auctor noſter, quòd dixerit, inter ea nullam, vel modicam differentiam intercedere? Si ſecundum, nonne Malpighius contradictionis habet accuſatorem magis Amicum, quàm defenſorem? Nec ne verò loci Vigiliarum adducti repugnent inter ſe, arguantque ſententiæ mutationem, facilè cuivis innoteſcet conſideranti, Sbaraleam dixiſſe, malè ex Malpighio doceri in reſponſione poſthuma, quòd in Medicina poſſit procedi a priori, & eo magis, quòd in non poſthumis id negaverit, ac propterea nihil mirum, quòd in poſthuma reſponſione cenſuram afferat, a qua immunia non poſthuma ſunt habenda. Et quoniam eadem ratione in poſthumis proceditur, ac in non poſthumis, concludendo ſophiſticè, ratiocinando imperitè, malè, abſurdèque inferendo, ut in prima, & ſecunda Vigiliarum pagina aſſeritur, hinc citrà ullam inconſtantiæ notam, aut ſententiæ mutationem dictum eſt, nullam, vel modicam differentiam in genere ſcientifico intercedere inter poſthuma, & non poſthuma. Contrariorum enim repugnantia de eodem eſt intelligenda, quod non facit Horatius, qui ob id tantùm, vel hoc alio in loco damnat Sbaraleam, quòd, cùm dixerit inventa anatomica non deberi ratiocinationi, alibi aſſerat ad detegendas res ignotas potiſſimùm requiri diſcurſum, quaſi res ignotę detegendę per ratiocinium ſint inventa anatomica, & quaſi

Id. pag. 681.

quaſi ità abſolutè negaverit ratiocinium, ut nullibi fuerit adhibendum. *Hæc ſemper propoſuimus cum proteſtatione repetita, quòd non intendimus damnare ratiocinium -- hoc enim actu rationis per id, quod eſt notum* (ſcilicet caſu inventum) *devenimus in cognitionem ignoti*. Alibi quoque, *Poſſumus pro veritate fateri, plurimos, & plurimos homines non intelligere hanc doctrinam, & ſupponere, nos ratiocinationem de medio tollere, quod nunquam cogitabimus, nec cogitavimus unquam &c.* Ex quibus porrò verbis, uti conſtat abſolutè Virum non negaſſe ratiocinii uſum, ità præcipitanter nimis de inconſtantia opinionis eſſe damnatum.

Id. Vigil. pag. 147.

Id. pag. 567.

XV. Ex inconſtantia doctrinæ ad inconſtantiam morum, neſcio qua ratione fit ſaltus. Fortène ſatis, Floriane mi, de moribus Sbaraleæ conculcandis turpiter, ac furenti ferè animo non protulit ſodalis tuus Lucas Terranova? Quomodo non aliundè, quàm ex ejus ſcriptis morum inconſtantiam deprehendis, qui ſcias, quanta ſint, quæ de morum vitiis altera, quæ tuę prefationis vice prefixa eſt, effinxit Epiſtola? Fortaſſis ea ſunt, ut quæ Lucæ tribuas ardenti, ingentique diffamandi deſiderio? Vel potiùs ea ſunt, quæ velis majora reddere, id unum additurus, de quo fortè dicere oblitus eſt Terranova? Sed abſit, quòd ego de te tam malè ſentiam; puto enim te Virum ingenuum eſſe, ac de promiſſis ultrò ſolicitum, qui cùm antea, te nolle, dixeris extrà limites doctrinalis controverſiæ divagari, inconſultè, ac præter animum inconſtantiam morum forſan aggrederis exprobrandam. Excuſandus itaque non videtur Sbaralea, ut ipſe aſſeris, quia cùm *aliena ſtudia paſſim reprehendat, carpat, derideat*, iis apertiſſimè repugnat locis, in quibus Poetæ monitis Malpighium damnat, ex eo quod aliena tantùm ſtudia reprehenderit. At quæſo dic ſodes, Florinane,

Horat. pag. 153.

num

num putas, Sbaraleam aliena ſtudia reprehendere per hoc,quod oſtenderit triplicem anatomen parum, vel nihil Medicinæ practicæ inſervire? aut quia præcepta, & cogitata Auctorum multa tanquam inutilia, aut planè falſa damnaverit? Haud quidem arbitror,qui ſciam longè id utile fore, atque conveniens ad inquirendam veritatem, tametſi non pauci ſint, qui ægrè ferant, ſe ſuaque placita impugnari. Ob id igitur æquiùs Vigiliarum Auctor damnabitur, quòd poſteaquam Auctorum documenta ſe laude, & honore proſequi, teſtatus eſt, quandam clariſſimorum hominum Malebranche, & Peyeri ſententiam erroneam judicet, multoſque alios, ut VVilliſius eſt, Cherchringius, Bohnius, Ettmullerus &c. redarguat, quaſi quòd hęc duo invicem opponerentur, laudare hominem, & hominis opinionem non laudare, vel laudare hominis opinionem, & alteram ejuſdem hominis opinionem non laudare, quòd certè foret neceſſarium, ut ex ipſis inconſtantia morum probaretur. Ob id enim, quod dixerit Ettmullerum rhapſodum eſſe, atque in iis, de quibus agitur Vigiliarum pagina 329. non eſſe attendendum, inferturne pari ratione de eodem eſſe ſentiendum in omnibus? Ex hoc, quòd una propoſitio ſit vera penes aliquem Auctorem, & per hanc laudari mereatur, inferturne omnes eſſe veras, & ex omnibus meritò laudari poſſe, ac debere? Quia multa protulit Malebranche, & honeſta, & utilia, minimè convellendus eſt, ubi damnatum Origenis errorem tutari videatur? Sed alia fortè ſunt, quæ majorem Viri morum inconſtantiam patefaciunt, nimirum certæ dicendi formulæ, ut puta *erronea ſententia, & perniciosa: irridendus Auctor: nimis pronus ad novitates ſe mirificè confundit: admirationem parit: nimia facilitate, & nullo examine procedit &c.* quæ ut ab Auctore Vigiliarum in contemptum

Horat. pag. 136. 137.

alio-

aliorum propoſita, neutiquam cum iis conſentiunt, in quibus ſibi ſummam eſſe erga Auctores *reverentiam*, *& venerationem*, teſtatus eſt. Sed demus hęc dicta non ſcholarum, ſed morum potiùs eſſe inquinamenta. Quid, ſi id verum eſt, ut pluribus Terranova, non paucis ipſe in locis Malpighium *Virum, ut fama eſt*, *modeſtiſſimum*, *optimum*, *integerrimum* vocas, nec de morum certè inconſtantia per te accuſandum, etſi Platonem *temerè loqui* dixerit, & Anatomicorum omnium, qui de liene ante ipſum ſcripſere, *varia meditationum figmenta* vocaverit, quibus *ſtomachus moveretur -- & a quibus fortè etiam in Superis, ſi hęc illos tangerent, riſus excitaretur*? Nonne Vir iſte eſt, quo, *ut neminem ſua ætate in naturę cognitione priorem, ſic in omni genere laudis, in omni virtute, & morum integritate meliorem neminem extitiſſe dicitur*? Nonne is idem eſt, *qui candore, atque integritate paucos habere poteſt ęquales*? *Qui de ſe, ſuiſque rebus cum modeſtia loqui ſoleret, dum alios interim exiſtimatione, & veneratione incomparabili proſequebatur*? Talis eſt per te, Floriane, non inficior, quamquam *jocos & ſcurrilia* Adverſariorum placita appellaverit, *indignabundum Borellum* aliàs ſibi amiciſſimum, & VVilliſium *fictis iconibus vaſorum ſanguineorum pulmonis progreſſum adumbraße*, dixerit; *Dominum Trionphetum malitiosè* ſcripſiſſe; *Bonannum callidè*, ut tot multa ſileam dicteria, & contumelias in Minum, Montalbanum, Sbaraleam, alioſque intemperanter illatas. Si hæc itaque ſint, ut ex ipſis de inconſtantia morum Malpighius minimè ſit culpandus; Floriane, quid Sbaraleam culpas? Oh hominem, qui ſcias hæc, quæ te neſcire diſſimulas, ut Virum omnium honeſtiſſimum inconſtantiæ morum criminari meritò videaris! Fac, ſi potes, ut quæ tua ſunt iſthæc argumenta, ab illata accuſatione honeſtiùs avo-

Malpigh. de ext. tac. pag. 17.
Id. de liene præf. pag. 371.
Terran. pag. 6.
Id. pag. 25.
Id. pag. 28.
Malpigh. Op. Poſth. pag. 10. pag. 15. pag. 17. pag. 94. pag. 104.

avoces, & quæ mores attinent, omnia Lucæ ſodali tuo inſonte natura tribuas, ne commune ad illa vitium proferenda, impuliſſe videatur.

XVI. Alterum, quod ultimo loco propoſitum, erroris genus adeundum eſt, in quo, ut nihil legitimæ accuſationis deprehenditur, ità non multùm in eo patiar te, Simoni doctiſſime, immorari, quippe ſatis intelligo, quantùm inutilibus diſſidiis adverſaris. Multa fermè protulit Sbaralea, quibus Malpighii lapſum in ratiocinatione proderet, leviora tamen, ut de more ab Horatio adducuntur, & ea tantùm, quæ vel levi digito ſunt perſtricta. Ac, ut quidem ego ſolitam artem, non ſine admiratione comprehendo, ità te velim, quanta ſit Auctoris noſtri culpa, ex hoc ipſo tantùm animadvertere, quòd vitia potiùs componenda ſint, quàm recitanda. Sed ne longiùs a propoſito digrediamur: imperfectæ ratiocinationis damnatur Malpighius, non quia dixerit, modò polypi ſtructuram ex pelliculis multiplicibus in corpus ſolidum adaptatis, modò ex disjunctis ipſis, diſtractiſque per interpoſitum ſanguinem conformari, quemadmodum credidiſſe viſus eſt Horatius; ſcio etenim ipſe id citrà ratiocinii vitium haberi poſſe; ſed tota accuſationis ratio hæc ipſa eſt, quòd, ut probaret, pelliculas in corpus ſolidum compingi, adduxerit Borelli obſervationem de polypo, *cujus moles membranoſis tunicis adinvicem ſuperpoſitis abſque continuitate conſurgebat.* (Malpigh. Bibl. anat. pag. 959.)

XVII. Quid autem ſibi velit Horatius ex adductis pag. 461. Vigiliarum, vel ego ſatis non intelligo, vel ipſe minùs Viri mentem intellexit. Siquidem Vigiliarum pag. 460. hęc Malpighii verba adducta ſunt. *Verùm, ut uno verbo totum complectar. Medicina rationalis continet totam empiricam, & inſuper ei addit cauſarum cognitionem, & a priori progreſſum.* (Idem Oper. Poſthum. pag. 350.) Ex quibus ſanè

ſanè duo inconſtantiæ ratiocinii genera adducta ſunt. Primum, quòd non ampliùs empirica ſit excludenda, nec tota Medicina rationalis ſit dicenda. Secundum, quòd non uno verbo totum complectatur, ſi paulò poſt alterum adducat argumentum ab aliis diverſum, & Pictorum exemplo confirmatum. *Inter Pictores magis celebres non æſtimantur, qui utuntur coloribus magis perfectis, ſed qui meliùs coloribus componendo, ſituando, miſcendo minima &c. -- ità pariter Medici mediis cognitionibus, quas habent de variis facultatibus remediorum, eligunt a materia medica, uti a communi officina, partes vegetabilium, animalium, & foſſilium has in pulverem redigentes, & miſcentes.* Id. pag. eadem.

XVIII. Poſt hæc attulit Horatius, ſe neſcire, an Antonino ſuo indicaret Vigiliarum paginam 416., & 417., quaſi ſuæ allucinationis conſcius, quippe quia fortè crederet, Sbaraleæ argumenta in prædictis locis adducta non provenire *a perperam intellectis latinæ verſionis adductis verbis*, etſi id aſſereret, cùm italica conſcriptio latinæ addiuncta ſcrupulum demere debuiſſet. Quæſtio enim eſt, utrum Medicinæ practicæ ſubtilioris anatomes ſtudium deſerviat, atque ab hac ipſa anatome novæ indicationes prodeant; pro qua re conſiderans Malpighius remediorum materiam, inſtrumentaque medica, eaque poſſe pro novis indicationibus inſervire (ſi tamen verum eſt) *extra lyram* vagari viſus eſt, & de una in alteram diſputationem prҽter propoſitum, ac nulla cogente neceſſitate. Hinc neſcio, qua ratione damnari in ratiocinatione potuerit Vigiliarum Auctor, etiamſi malè ſuppoſuerit, remediorum materiam, & inſtrumenta medica eſſe pro indicantibus recepta, & non pro iis, quæ *inſervire poſſunt pro novis indicationibus*, præſertim cum utraque ex prædictis ſuppoſitionibus æque falſa ſit reputanda. Non eſt ita-

que Sbaralea, qui malè ratiocinando procedat, ſed potius Horatius eſt, qui malè intelligendo Viri mentem deflectit, cui rectam eſſe liceret. Oh quæ ſors tua, Floriane, eſt, qui, cùm aliorum ignorantiæ vitia reprehendis, ut Satirici verbis utar, *aut tu ſimiliter in illa, aut hæc in te peccaverit!*

XIX. Animadvertit præterea Vigiliarum Auctor, lienem vocari glandulam a Malpighio, tametſi nullum commercium per injectiones inter arterias, & glandulas potuerit obſervare, nullum excretorium vas, nulloſque nervos, vel ſaltem ità exiguos, ut probabiliter ab ipſis tanta, quanta eſt ſecretionis materia, non educeretur; hinc miratur, *Antagoniſtam concludere ex præmiſſis, quæ deſtruunt ſuas concluſiones.* Quam porrò accuſationem ut in Accuſatorem retorqueat Horatius, hæc duo reponit. Primum eſt. Malè intellecta eſſe Malpighii verba, quem haud negaſſe ſuſtinet commercium inter arterias, & glandulas lienales, ſed inter arterias, & glandularum interiora, quaſi quòd inter hæc duo diſcrimen eſſet, ubi agitur de commercio, quod requiritur, ut ab arteriis in glandulas aliquid traducatur. Secundum eſt. Malpighium ex præſuppoſitis præmiſſis non concludere rationem glandulæ, quod niſi certè id expreſsè faciat, implicitè ſaltem feciſſe viſus eſt, quum repugnantibus probationibus adhuc naturam glandulæ in liene conſtitueret.

Sbaral. Vigil. pag. 151.

XX. Quòd autem pag. 388. Vigiliarum adducitur, nimirum malè inferri, Celſum fuiſſe rationali Medicinæ contrarium, quam Greci profitebantur, quia nobilis eſſet Romanus, & Juriſta, facilè cuique conſtabit conſideranti, non ideo Romanis Græcos odio fuiſse, quia Medicinam rationalem docerent, nec ideo Medicinam rationalem ab Celſo impugnari, quia eſſet Juriſ-

riſta, quod foret neceſſarium, ſi vera eſſent, quæ ab Horatio adducta ſunt. Siquidem Juriſta fuit Celſus, ſed non ità Medicis omnibus inviſus, quin empiricos undequaque, & laude, & amore proſequeretur. Fuit Juriſta Celſus, ſed ità in medicis verſatus, atque huic arti addictus, ut pro Medico potiùs haberetur, ſic quidem, ut eum non immeritò latinum Hippocratem Augenius appellaverit, melioremque hippocraticæ artis interpretem, & magnæ auctoritatis Scriptorem Medicum dixerit Mercurialis. Fuit ſimiliter Celſus nobilis Romanus. Fuit Medicinæ rationalis adverſarius. Sed quid hìc præſtat nobilitas, quæ non tantùm Romanorum eſt? Quid rationalis Medicina, quæ non tantùm Græcorum? Demus eruditis Romanis odio fuiſſe Græcos, ut fatetur Horatius; fuerunt ne etiam nobilibus? Etſi quidem utriſque, fueruntne, quia Medicinam rationalem profiterentur? Quæ duo herclè præſupponenda ſunt, ut rectè concludi poſſit, *Celſum fuiſſe Nobilem Romanum, & conſequenter adverſarium rationalis medicinæ, quam Græci docebant*. Ego ſanè mallem videri, quòd certiùs eſt, imperio magis, & arte bellica, quàm Medicis ſpeculationibus, invidam Romanis Græciam fuiſſe, vel ipſis Celſi temporibus, quibus ſi quę morum diverſitas, literarum certè nulla contrarietas habebatur, ut ex ipſius Celſi monumentis, & commentariis apertiſſimè intelligitur. Malpigh. Op. Poſt. pag. 320.

XXI. Quæ verò Vigiliarum pagina 55. adverſùs Malpighium proponuntur, ità ab Horatio ſunt perſtricta, ut iiſdem planè viribus adhuc vigeant: nam, quemadmodum illegitimæ illationis argumentum Malpighii dictum eſt, per quod ex dimidia, vel tertia ſanguinis parte, quæ continenter fertur ad cerebrum, arguitur, concreſcibile ſerum cribrari in ipſo cerebro, & *inde in elongatos nervos derivari*; ità, ſi major ſit

quantitas ipſa, quàm quæ ad nutrimentum requiritur, ut notat Horatius, adhuc idem malè inferri poſſe videtur, etiamſi quæ ſuppoſitæ ſunt adminiculationes præceſſerint, niſi priùs verificetur, pro nutritione, tantùm, & ſecretione ſanguinem ad cerebrum deferri; quod nulli certè videbitur, qui diligenter conſideret, & partium cerebri motum, illumque præſertim, duræ meningis, ad quam non modica cruoris portio a carotidibus propagatur, & temperaturam partium earundem molliorem, frigidioremque (VVilliſii date veniam vocabulo) quæ de ſe minùs aptæ ſunt ſpiritibus elaborandis, niſi calore ſanguinis foveantur, qui ab cerebro redux pleno gurgite intrà ſinus duræ matris recolligitur, iiſque ceu totidem æſtuariis remoratur, quod unum vel ipſis D. de S. Hilario, & D. Palfyn obſervationibus probatum eſt, a quibus detecti ſunt rami arterioſi, valdeque patentes, qui antequam nutritioni quidquam, vel ſecretioni traderent, immediatè ad ſinus ipſos, maximeq; ad ſagittalem propagarentur, cum iiſque communicarent. Ex quo nedum evincitur, ſeri concreſcibilis ſecretionem ex abundantia ſanguinis intrà cerebrum malè deduci, ſed cujuſcunque alterius generis fluidi, cùm ea, quæ non abſumitur nutritione pars ſanguinis, aliis uſibus a ſecretione diverſis tribuatur. Sed, ut ſoleo, dari velim Horatio, ex prænotata ſanguinis in cerebrum affluentis copia ſeri concreſcibilis ſecretionem inferri, *iis cuicunque notis adminiculantibus*, quæ ex Hydrocephalis, aliiſque morboſis conſtitutionibus deſumuntur, quandocunque nec inde ſatis probatum iri, *percolatum concreſcibile ſerum per fibrulas cerebri in elongatos nervos derivari*, ubi glandula pituitaria ſit, pinealis, aliæque multæ ad plexum choroides, & ad piam matrem poſitæ, quibus percolatum ſerum abſumatur, præſertim cùm hæ ipſę ſint,

Malpigh. de Cereb. pag. 118.

ſint, quæ in Hydrocephalis priùs intumeſcant, & ſub oculos ſero turgidæ prodeant. Fortè ne quid probat VVilliſii experimentum, ut percolatum ſerum in jugulares venas trajici dubitemus? Fortè ne Verheyenii, ut per foramina oſſis ſphænoidis ad nares, palatumque?

XXII. Transeamus modò ad alia, & præſertim ad ea, quæ Vigiliarum pagina 37. afferuntur, quæ quidem talia ſunt, ut eorum nodus per Horatium rumpi potiùs, quàm ſolui videatur. Inter cætera contra Malpighium eo loci poſita, Horatius hoc unum deligit exprobrandum, nimirum injuſtè accuſari Virum, quòd ex lapide Kentmani, & conſtitutione VVepferiana, tanquam ex oppoſitis obſervationibus unum, & idem comprobet, ſi quæ duæ obſervationes ſint, ut *ex prima glandularum figura; ex ſecunda materia earundem, & cavitas potiſſimùm arguantur*; ut ſi quidem verum eſſet, quòd a figura, & a cavitate, glandularum exiſtentia foret deducenda. Haud mihi certè ſatis unquam probabitur, præfatas obſervationes ſibi invicem non opponi, quouſque præſuponendæ ſint cavitates in lapideis partibus, quæ in veſiculis VVepferianis ſunt manifeſtæ; Quòd ſi quidem cuique liceat pro lubitu, quæ ſibi conveniunt præſupponere, ut Horatius Kentmani lapidem ex acinis petrificato ſucco repletis, obliteratiſque compoſitum eſſe, credidit; ità pari paſſu, & ratione ipſe credam ex nullis ſimilibus acinis coagmentari, præſertim cùm ſæpe viderim vegetabilium, & animalium partes diu ſalinis thermis immerſas ſic petrificari, ut repletis adhuc ſpaciis, & vacuitatibus priſtinam non exuant ſpeciem, atque figuram. Horat. pag. 150.

XXIII. Idem ſimiliter de pilis, & pilorum coloribus, atque iis etiam, quæ ex Malpighii Diſcipulo adverſùs empiricam Medicinam prolata ſunt, effugium

eſt;

eſt; quoniam, ut ea omnia recta eſſe probet Horatius, non tantùm ſibi fingit pro veris incerta, nullaque ratione probata, ac ne per ſomnium quidem ab Auctoribus ipſis, quorum jura defendit, intellecta; ſed vel ipſa conſtruit Sbaraleæ verba ita, quòd aliter, ac pro voto ſuo nequeant explicari, intelligique; ſic enim ubi Malpighius ſcripſerat. *Pili diverſimodè colorantur contento in fiſtulis ſucco; quin & eodem deficiente, vel ſaltem luxuriante aereo fluido, cani, & ſubalbidi redduntur*, aſſerit, Sbaraleam in unum hæc verba conjunxiſſe *deficiente vel luxuriante aereo ſucco*, quod certè falſum eſt; quum id tantùm aſſerere viſus ſit, quod ſi colorentur Pili ex contento ſucco, quandocunque defecerit contentus ſuccus, nec cani, nec alterius generis coloris fieri debuiſſent. Sic pariter ea, quæ a Malpighii Diſcipulo ſunt adducta, circà medicam artem involuit, atque confundit, unum alteri tranſponendo ſenſum, ne qui medicam artem rationalem eſſe ſcriberet, empiricam penè totam dicere videretur.

Malpigh. Op. Poſt. pag. 126.

XXIV. Eò devenimus jam, ut nonnullæ Sbaraleæ propoſitiones, ſive axiomata dicta, ſint conſideranda. Primum eſt. *Minimam anatomen parum, aut nihil ſolidiori Medicinæ inſervire*. Quam propoſitionem inficiari certè nolim ex arte chirurgica, tametſi theoricè nos doceat, ſecandos eſſe muſculos ſecundùm fibrarum directionem, non item practicè; quoniam uti multas alias cautiones, hanc certè nullam Chirurgi ſuſtinent, adhibentque, qui ſciunt quàm ridiculum eſſet in muſculis ſpiraliter contortis, ſpiralem ſectionem inſtituere. Quod attinet verò auctoritatem ex Gavaſſetio adductam, nullus dubito, quin Horatius Viri mentem malè intellexerit, ſi quæ multa Vigiliarum pagina 286., & 287. ex eodem Auctore ſunt propoſita huc referamus, quæ quidem tantùm abeſt, ut prę-

dictæ

dictæ propoſitioni repugnent, quin potiùs eandem ſolidiſſimè confirmare videantur.

XXV. Alterum axioma hoc eſto. Sic libet Horatio propoſitiones Sbaralianas appellare, & non immeritò, ubi nulla ſit, qua infirmari poſſint, dubitatio. *Uſum proprium partium medici in praxi conſiderant, non genericum, qui nihil docet in eadem.* Et nihil ſanè, ſi relictis Pathologiæ ſpeculationibus ad Therapeuticam inſpiciamus, quæ nullatenus ditior eſt, quamquam ex inventione novi uſus generici particularis alicujus falſitas aliquando deprehendatur: facile enim eſt aſſerere, quòd *antiquum dediſcendo uſum, multa ſuperflua eſse remedia, addiſcimus*; ſed quænam hæc ipſa ſint non tam facile determinare. Siquidem, & noſtris temporibus, quibus jam communiter receptum eſt, lienem non eſſe melancholiæ promptuarium, nec hepar hęmatoſis officinam, quemadmodum putarunt Veteres, eadem prorſus remedia uſuveniunt tum ſplenica, tum hepatica dicta, nec ulla certè ab antidotariis ſunt expuncta, atque ipſa hominum excellentium cogitatione nondum uſui noviter invento conformata. Dixi, communiter receptum eſſe novum hepatis, & lienis uſum, quod fortè falſum eſt. Etenim poſt inventas hepatis, & lienis glandulas, ſi quæ verè inventæ ſint, quod idem eſt ac dicere poſt inventum uſum genericum ſecernendi, non indè certa emergit ratio aſſerendi, hepar non ſanguificare, & lienem melancholiam non recipere, quod ad illationem Horatii foret neceſſarium. Satis, ut puto, notum eſt, ne vel minimùm lædi hepatis officium, quin hęmatoſis ipſa lædatur; & lienem, poſt inventam ſtructuram minimam, terreſtris, & limoſæ ſubſtantiæ a VVilliſio præclariſſimo promptuarium adhuc appellari, quod ſatis eſt, ut probè conſtet, uſum genericum hepatis, & lienis noviter Horat. pag. 155.

ex

ex ſtructura minima deductum nihil quidquam veteri, & ſpecifico detraxiſſe, quod antiquam praxim immutet, aut ſaltem caſtiget. Ut ex veteris ſpecifici falſitate, minùs certè ex novi uſus generici inventione neque mutari, neque extendi praxin medicam ſatis conſtat, nec ſanè quidquam probat exemplum a parotidibus deſumptum, quæ licèt *cum axillaribus*, *inguinalibus*, *& mammis in ſuo ſeparandi munere conveniant*, non indè ſatis infertur, quòd parotides ſint glandulæ, niſi priùs præſupponatur, in humano corpore mediis glandulis ſecretiones fieri univerſas, quod nondum certè ſatis probatum eſt, optatum tamen ad naturæ uniformitatem ſalvandam, atque ad certam rationis congruentiam. Ad hoc enim, ut rectè parotides glandulæ dici poſſint, non ſufficit, quòd ea ratione conveniant cum mammis, & axillaribus, qua conveniunt cum hepate, renibus, cerebro &c., ſed præterea opus eſt, ut conveniant in ſuo ſeparandi munere per determinatam ſtructuram, unde determinatus ſuccus eliciatur, quod eſſet ſpecificum uſum adducere, non genericum ad dirigendam praxim. Altera Horatii illatio eſt, quòd, cùm ſciamus, parotides eſſe glandulas ſufficit, ut *ſciamus quemadmodum alias glandulas cautè*, *& cum metu excitandi fiſtulam in praxi eſſe tractandas*, quaſi quòd aliæ partes, quæ non ſunt glandulę, nec cautè tractari debeant, nec cum metu fiſtulæ poſſint, ut ſi quidem particularis glandularum morbus fiſtula dici poſſet, & quum adhuc talis eſſet, perſpecta generica glandularum natura, facilè præcaveri poſſet, atque impediri. Nec præterea damnari poſſe videtur Sbaralea ex adductis pag. 573. Vigiliarum verbis, quandoquidem nulla particulari limitatione coercet, quod univerſaliter probandum aſſumpſerat, ut putat Horatius; ſed id tantùm efficit, ut, poſtquam probaverit rigo-

Id. pag. ead.

Idem pag. eadem.

goroſè nihil ex uſu generico poſſe pro praxi medica lucrari: parum etiam ex uſu ſpecifico obtineri probet, & hoc præſertim, quòd non ſufficiat ſcire, aliquam particulam eſſe vel muſcularem, vel glanduloſam &c. ac propterea huic, vel illi dignitati adſcriptam; ſed ulteriùs requiri notitiam particularem partis, nimirum determinatam ſtructuram, a qua cognita remedii genus determinetur. Vel enim remedia ſunt generica, vel ſpecifica. Si prima nulla attenta ratione partis ſunt adhibenda; ſi ſecunda non ideo conveniunt partibus, quia vel glanduloſæ, vel muſculares &c. ſint, ſed quia taliter glanduloſæ, taliter muſculares, quæ taleitas ex nullo partis uſu conſtat. Ob id enim alia ſpecifica ſunt hepatica, alia ſplenica, alia cęphalica &c. & tamen omnes partes, a quibus ità denominantur, ſunt per Adverſarios glanduloſæ: Quarè ly *non ſufficit -- interdùm -- ferè ſemper -- ſaltem majori ex parte -- parum &c.* -- non ſunt limitationes propoſitionis univerſalis appellandæ, ut doloſè tradit Horatius, ſed limitationes potiùs diverſarum propoſitionum, quæ ad rem propoſitam incidenter prolatæ ſunt, ut ex ipſis etiam faciliùs dignoſcatur, quòd, ut nihil ex uſu generico, parum ex ſpecifico pro Medicina practicè facienda poſſimus lucrari. Quod ſi quidem aliquando contigerit, ut dependenter a ſimilitudine naturæ, quæ intercedit inter unam, & alteram partem; inter unum, & alterum corporis humorem, ut ex Sylvio inter ſuccum pancreaticum, & ſalivam, recta methodo utriuſque lęſionis Therapeja inſtituatur, non inde ſatis infertur, vel uſum partis, vel anatomen minimam id utile præſtitiſſe, niſi priùs probetur, alterutrum ex ſimilibus vel ex uſu, vel ex anatome minima, novum remedii genus indicaſſe; quod ut nihil hìc ex Horatio probatum eſt, ità pro nihilo contentioſa ejus verba ſunt reputanda.

XXVI. Ad alteram nunc venio propoſitionem, quę loco axiomatis eſt recepta. In ea Vigiliarum Auctor eſt ſententia, quòd *non ſit neceſſarium Medico pro* Sbaral. Vigil. pag. 296. *uſu partis cognoſcendo, cognoſcere adamuſſim, & ad minimum ſtructuram partis -- & Medicus debet uſum a Philoſopho detectum accipere ab eodem, & non detegere.* Quæ verba non ideo nugatoria ſunt dicenda, ut ait Horatius, quia videantur ſupponere, Medicum debere uſum a Philoſopho detectum accipere, etiam ſi falſum ſit; & legitimum non quærere, quoniam id verè non ſupponunt, ſed hoc unum tantùm, vel lumine Naturæ cognitum, quòd intellecta falſitate uſus a Philoſopho detecti, cùm legitimum velit Medicus inquirere, non ampliùs Medici, ſed Philoſophi perſonam induat, quandoquidem nulla ad inveniendum verum uſum præcepta medica prodeſſe poſſint. Ut de uſu partium, de cognitionibus mechanicis eſſe ſentiendum aſſerit Horatius, hac tatione potiſſima, quòd aptiùs a Chirurgo inſtituantur medicæ operationes, qui dentiforcipis non tantùm uſum habeat, ſed rationem uſus mechanicam, quod unum, & idem eſſe videtur, ac ſi quis diceret, hominem, cui nota ſit ratio innatatus, aptiùs piſcibus poſſe innatare; ſic Horatius, qui præter uſum dentiforcipis, mechanicam rationem uſus intelligit, Dentiducum facilè ſe præſtiterit aptiorem, melioremque.

XXVII. Æquè falſum eſt, quod Horatius pergit opponere de ſuppoſita Medicinæ rationalis inutilitate, de qua relatè tantum ad praxim locutus eſt Sbaralea, & cum limitatione, non abſolutè, ut creditur, & ſecundùm quamcunque rationem, ut ex ſequentibus ejus verbis colligitur. Sbar. Vigil. pag. 233. *Nullus dicet niſi mente captus rationem non eſſe quærendam.* Præterea. pag. 405. *Nos nuſquam ſpreviße rationalem ſcholam &c. -- Noſtra itaque*

cen-

cenſura in hoc conſiſtit, quod ſchola rationalis ſit optima, ſed adhuc in tenebris ſepulta. -- Interdum debemus eſſe empirici, & frequentiſſimè; nonnunquam, & rarò rationales. Et demum, ut multa ſileam. *Nunquam enim diximus, Medicinam rationalem eſſe reprobandam.* Ex quibus porrò locis evincitur, ut nullum de inutilitate rationalis Medicinæ fuiſſe axioma traditum, ità nullam argumenti vim ex propoſitis ab Horatio interrogationibus. *Quid conducit hoc? Quid conducit illud?* eſſe deſumendam. pag. 443.

XXVIII. Magis quoque fallitur Horatius, qui ex adducta Carteſii auctoritate carpendi Virum fundamenta ſumit. Hæc ſunt verba Carteſii. *Sed quia ad hunc effectum etiam ſtructura oculi facit, ex hoc loco deſcribenda eſt. Et majoris facilitatis cauſa id efficere paucis conabor, omiſſis data opera minutiis multis ſupervacuis, quas Anatomicorum curioſitas hic notavit.* Ex quibus porrò verbis, tanquam ex clariſſimo Viro, cui multùm tribuunt Adverſarii, notatis, id unum ſibi viſus eſt Sbaralea poſſe deducere, quòd, quemadmodum ſupervacuæ ſunt minutiæ anatomicæ ad explicandum videndi modum, multò magis erunt, ad explicanda viſionis vitia, atque viſionis vitia ſananda; quod aliter eſt, ac dicere, quæ in una Philoſophiæ parte ſunt ſupervacua, in tota Philoſophia inutilia eſſe dicenda, ut fingit Horatius, qui ſæpe propoſitiones Sbaralianas, vel ad ea tradit probanda, ad quæ minimè datæ ſunt, vel ultrò quàm patiantur, ac opus ſit ex ipſis inferre velit. Et quoniam Hippocratis, & Galeni vetuſtiſſimis temporibus nondum minutiæ anatomicæ dictæ conſtarent, & adhuc feliciſſimæ curationes haberentur, argumentum ab Auctore noſtro deſumptum eſt ad probandam inutilitatem ſubtilioris anatomes in Medicina facienda, quandoquidem Auctores præcitati, quos Cart. tract. de hom.

multa eorum latuerant, quæ nunc temporis Clinico neceſſaria dicuntur, morborum admirandas curationes præſtiterint, quæ neque caſui, neque naturæ viribus ſunt tribuendæ, ut credit Horatius, ſi præceptis iis curativis ſunt habitæ, quibus vel noſtrates ipſi Medici quotidiè diriguntur; qui ſi quidem aliquid arte faciunt, vel Galenica, vel Hippocratica auctoritate ſuffulciunt. Quare nihil hìc Horatium attinet animadvertere, componendam eſſe cum obſervatione rationem, quod vel Lippis notum eſt, nec unquam ab Auctore noſtro negatum, ſed probare feliciorem eſſe Neotericorum praxin, qui minimam partium ſtructuram edocti ſunt, quàm Veterum Hippocratis, & Galeni, quas latuiſſe compertum eſt. Haud multùm diſſimiliter per Horatium invicem confunduntur ea, quæ Vigil. pagina 207. cum iis, quæ pagina 291. adducta ſunt. In primis enim fit quæſtio de uſu rationis, & experientiæ in Medicina facienda, probaturque potiorem eſſe experientiam vel ipſis Hippocratis, & Galeni auctoritatibus, qui tametſi communiter Rationales appellentur, reipſa tales non ſunt, quum obſervationibus plerumque ad dirigendam praxim innitantur, & ſectatores omnes adhuc noſtrorum temporum, qui vel nomen empirici, tanquam artis ludibrium, abhorrent, faſtidiuntque, ut in conſultationibus Medicis peritiores aliis, atque omnium excertitatiſſimi videantur, majoremque de ſe, ſuiſque curationibus fidem faciant, tot, tantaſque hiſtorias medicas recitant, in quibus hoc, vel illud remedii genus utile compertum eſt, ut planè tota conſilii ratio ab obſervatione deducatur, quod eſt Sectæ nomen Empiricæ, non uſum odiſſe. Quibus ità jam prælibatis, intellectiſque Horatio nihil mirum videri debet, niſi ex libro de optima Secta, aut ex illo de Sectis Galeni vota ſint recepta, etſi quidem verum

ſit per Sbaraleam, *mentem Auctoris debere deſumi, ubi ex profeſſo agit de illa materia*; quandoquidem non hic certè ſermo fuerit de Secta Rationali rejicienda, ſed de iis tantùm Galeni auctoritatibus, quibus facile conſtaret, rationales ipſos Medicos, qui ſe tales jactitant, rigorosè Empiricam non abjeciſſe. In ſecundis autem, iis videlicet verbis, quæ Vigiliarum pagina 291. adducta ſunt, inquiritur, num quæ ſubtiliorem attinent Anatomiam, practicæ Medicinæ inſerviant, quod idem certè non eſt, ut cenſet Horatius, ac inquirere, nec ne, Empiricæ Secta Rationalis ſit præferenda, quandoquidem ex ipſis rationabilibus Medicis ſubtilior anatome ad praxim inutilis prorſus diceretur, ut ex pluribus Galeni locis habetur, iiſque preſertim, in quibus de hac re ex inſtituto loquitur; qui ſiquidem aliquando, ac præter propoſitum anatomicas minutias commendaverit, non eas certè Clinicis eſſe neceſſarias, unquam attulit, ſed iis dumtaxat Medicis, qui ſpeculandi cauſa magis, quàm medendi naturam introſpiciunt. Multò minùs *memorabile Cardani monitum*, quod affert Horatius, ad præſentem pertinet controverſiam, ſi de inſtrumentis Medicis theoricè, non practicè loqui intelligatur, qui talis eſt. *Jam olim querebatur Galenus propter unum Theſſalum: Quid facturus eſset noſtra ætate cum tot Theſſalis? Ille unus ſex menſibus pollicebatur ſe totam docturum Medicinam: Quid hi noſtri faciunt, qui ſine Dialectica, Philoſophia, Mathematicis cum ſuis methodis abſurdis, quaſi Galenum ſuperaturi, longè minore temporis ſpatio totam Medicinam docere poſſunt, ſi vera eſſent, quæ illi promittunt. Sed vereor ne Medicos faciant, ut Nero per ludibrium vocare ſolebat, ideſt Carnifices. In ſumma dicam: Nemo ſub pœna capitis deberet admitti ad exercendam Medicinam, niſi bonus Mathematicus, Dialecticus, ac naturalis Philoſophus eſſet: ità ut*

Sbaral. Vigil. pag. 291.

Card. aph. 50. ſect. 5. pag. 459.

toto

toto quinquenio ſolùm his operam daret, omiſſis etiam primæ Philoſophię ſtudiis, quæ non ſolùm inutilia ſunt, ſed, dum communia loca explicant, larvatos ſapientes pro veris efficiunt. Ex quibus porrò verbis luculenter, manifeſtèque deprehenditur, Virum hunc de theorica Medicina locutum eſſe, non de practica, eaque illius parte, quæ ad inſtituendam Juventutem utilis eſſe poſſet; quod manifeſtiùs intelligitur ex aliis ejuſdem aphoriſmi verbis, quibus Galenum increpat, accuſatque -- *Quarum omnium, ſi quis rectè conſideret, ſententiarum (Dialecticarum ſcilicet, Philoſophicarum, & Mathematicarum) expers fuit ipſe Galenus, glorietur, & jactet ſe, quantumvis & Patrem habuiſſe Geometram, & ipſe afferat geometricas demonſtrationes, facilè nos perſpicimus, illum vix prima elementa ejuſdem diſciplinæ, tum etiam Arithmeticæ, atque cæterarum mathematicarum attigiſſe: ut ſi ex ungue leonem, perſpicuum ſit, præter Medicinæ partem, quæ ad exercitationem attinet, nihil ſciviſſe*. Igitur Galenus ex Cardano poterat ſcire eam partem Medicinæ, quæ pertinet ad exercitationem abſque Dialectica, Philoſophia, & Matheſi, quod certè nequit componi cum altera ab Horatio adducta ejuſdem Cardani ſententia, niſi dicatur, Virum hunc duplex Medicinæ ſtudium intellexiſſe, alterum videlicet practicum, cui nihil tribuant prædictæ facultates, alterum verò theoricum, ad quod *nemo ſub pęna capitis deberet admitti, niſi bonus Mathematicus, Dialecticus, & naturalis Philoſophus eſſet*. Ex quibus ſatis, ut reor videbitur, qua ratione Auctorem noſtrum coarguat Horatius, & quàm callidè unum cum altero confundat, ut Viri ipſius ratiocinium impugnet, ejuſque axiomatum fundamenta convellat.

Idem pag. 458.

XXIX. Poſt hæc nova pergit Horatius opponere, ut abſurdam aliquam Sbaraleæ illationem oſtendat.

Ne-

Negat Vigiliarum Auctor, pinguedinem datam eſſe ad temperandos ſales hac una, inter cæteras, ratione, quòd exhibita in ſtatu ſalino morboſo nihil quidquam prodeſſe viſa ſit; atque ità certè hoc unum negat, ut eorum, quę Vigil. pag. 115. adducta ſunt, minimè oblivifci videatur, nimirum *aliud eſſe, quòd aliquid immediatè ſanguini addatur, & miſceatur, aliud mediatè, & per longas alimentorum vias*, quandoquidem nulla ratione conſtet, Virum hunc locutum fuiſſe de ſtatu ſalino morboſo ſanguinis, ad quem per longas alimentorum vias pinguedo deferretur, & non potiùs de ſtatu ſalino morboſo ſtomachi, ejuſque fermenti digeſtivi, cui immediatè commiſceretur. Quarè *de prædicta illatione, ne alia dicere, hoc certè dicere* non debuerat Horatius, *hunc ipſum hominem de more ſui oblitum eſſe*, quoties illatio recta ſit, quæ ſic ſe habent. Pinguedo exhibita, & immediatè admixta ſuccis ſtomachi ſalinis nihil prodeſt, nec ſales temperat, ergo immediatè admixta ſanguini nihil proderit, nec ſales temperare poterit. Horat. pag. 164.

XXX. Manca ſimiliter, & imbecillis illatio dicitur, quæ talis eſt, *ſi Cina Cina non fuiſſet ex arte adminiſtrata, febris non fuiſſet ſublata*. Sed qua ratione manca ſit, ex Horatio percipiamus. *Si prædicta illatio bona eſſet, bonæ erunt hæ quoque illationes: opium ſuſtulit utcunque dolorem, aut opium ſuſtulit utcunque delirium; ergo ex arte adminiſtratum fuit; ſed ſi hæ illationes bonæ ſunt; tunc etiam, quando opium imprudenter exhibitum dolorem, aut delirium ideo ſuſtulerit, quia vires penitus proſtraverit; tunc etiam bona erit hæc illatio: Opium dolorem, aut delirium ſuſtulit; ergo ex arte adminiſtratum eſt; uno verbo hæc illatio bona erit: Opium ægrum interimit; ergo ex arte adminiſtratum fuit*. Ridet quidem Antoninus, ut ipſe rideo, non propter egregiam, ut, Floriane, ludis, illationem: ea enim eſt, Sbaral. Vigil. pag. 275. Horat. pag. 165.

qua

qua riſus minimè provocetur; ſed propter te, tuumque facilem cavillandi morem, ac indolem, qui neglectis rectæ rationis uſibus, patiaris tantùm ſophiſticis argumentis docti Viri mentem confundere, atque ab una in alteram ſuppoſitionem indecenter educere. Satis quidem conſtat, quòd, ubi opium ſuſtulerit dolorem *utcunque*, nimirum vel *quia vires penitus proſtraverit*, vel quia *ægrum occiderit*, haud legitimè inferri; *ergo opium ex arte fuit adminiſtratum*; nec aliter ex his inferri, opium ſuſtuliſſe dolorem, ac ſi quis diceret, Stibium, aut Veratrum, quibus Arthriticus occideretur, ſuſtuliſſe dolorem arthriticum. Sed qua ratione ſimilem ratiocinii progreſſum ad Cinam Cinam revoces, ubi ſuſtulerit febrim, non *utcunque*, quod addis, aut quia vires penitùs proſtraverit, aut quia mortem intulerit, ſed quia ægrum ſanaverit, certè ſatis non conſtat, ut ipſe poſſis, aut debeas abſurdam illationem dicere, Virumque clariſſimum intemperanter, ut ſoles cavillari, qui ſi quidem multa protulit, *quæ facilè concidant*, per te certè non concident, quouſque majora non proferas argumenta, quàm quæ illi ludibrio eſſe poſſint, non documento.

Idem pag. eadem.

XXXI. Ab illationum vitiis iterùm ad inconſtantiæ rationis vitia regreditur Horatius, culpatque Sbaraleam, qui Vigil. pag. 53., & 54. ad rejiciendum corticis cerebri uſum ſecernendi ſerum, adduxerat, liquidiſſimum atramentum, aut ſerum concreſcibile aliquando per carotides injectum, nulla unquam ratione ſubſtantiam corticis, & medullæ penetraſſe, eorum fortè immemor, quæ ex Celſo Vigil. pag. 23. retulerat, nimirum, *neque quicquam eſſe ſtultius, quàm quale quidque vivo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, immo jam mortuo*: aut eſt Boneto, *ſpiritum vivificantem, quandiu micat, omnia expanſa ſuſtinere, in ordine*

co-

cogere, a putredine, & corruptione vindicare; eadem extincta, aut ad interitum vergente concidere, ſubſidere, & diſlocari &c. quaſi verò hæc cum illis ſcilicet, quæ pag. 23. cum iis, quæ pag. 54. in eundem ſcopum contenderent, iiſdemque controverſiæ circumſtantiis componerentur, quod nulli, qui candidè, attentèque rem conſideret profectò videbitur. Poſtquam enim ex Sbaralea probatum eſt a Vigil. pag. 13. ad pag. 22. fallacem eſſe diſcurſum ab imperfectis animalibus ad perfectiora, atque hinc a Brutis ad Hominem pro natura partium dignoſcenda, alterum Malpighii procedendi modum a morboſo ſtatu ad naturalem coarguit, non univerſaliter, quod foret neceſſarium ad inconſtantiam illatam comprobandam, ſed tantùm ſecundùm quid, ut ex ipſis ejus verbis colligitur. *Et hæc, & alia plura oſtendere poſſunt conſiderationem ſtatus præter naturam aperire interdum poſſe naturalem. Sed an univerſaliter liceat inferre, dubium eſt, & quidem non ſpernendum &c.* Sbaral. Vigil. pag. 22. Igitur non ità impugnat ea, quæ a Malpighio adducuntur, ut ſibi contraria reddat alia, quæ ex Celſo, & Boneto ſunt adducta, ſed ut falſam oſtendat Malpighii obſervationem, qui mediis injectionibus atramenti glandularum exiſtentiam in cortice cerebri deprehendiſſe falſus eſt, quandoquidem affuſo atramento, vel liquidiſſimo, immo, quod magis proportionatum eſſe debuerat, injecto ſero concreſcibili, nulla intrà cerebrum obſervata fuerit exundantia, quę facilè ex injectis liquoribus per arterias emulgentes, & hepaticas in renibus, & hepate videbatur. Igitur, ſi liquor immiſſus, capillaria quæque hepatis vaſa penetrat, ut notat Gliſſonius, & per arteriam emulgentem renum glandulas inficit, ut Malpighius; ſecùs ſi per carotides ad cerebrum propellatur, ut ex datis ab Horatio, eſt dicendum, non ideo ab una in alteram ce-

rebri ſubſtantiam non diffundi, quia, cùm omnium molliſſimæ ſint, omnium etiam maximè concidant (hac enim præciſa ratione, quòd molliſſimæ ſint, faciliùs penetrari debuerant, utpote quæ laxioris texturæ minorem habeant partium cohærentiam) ſed quia potiùs, quæ in hepate, & renibus ſunt ſemitæ, deficiant in cerebro, vel ſaltem, quod ex affuſo atramento ſatis, quod controvertitur, non fuerint detectæ.

XXXII. Ad obſervationes verò circà medullarium fibrarum ſupra corticem, aut corticis infrà medullam productionem, quod attinet, Horatium obſecro, ne præoccupari ſe ſinat Antonini ſui, vel Præceptoris ejus, rerumque ſuarum amore, & nullus dubito, quin de ſpirituum animalium percolatione in corticales glandulas, eorumque per medullares fibras excurſu in nervos aliqualiter ſuſpicetur, veritus ne quid in hoc ſyſtemate offenderit, quod plenum aſſenſum non mereatur. Docet Sbaralea *in corpore medullari portiones corticales deprehendi, per quas nullę ſenſibiliter diſtribuuntur medullares fibræ*, atque hinc conceptum generationis ſpirituum in cortice, eorumque motus in prædictas fibras non ità certum eſſe, quin de illo rectè poſſit dubitari. Quod, ut impugnet Horatius, hæc duo reponit. Primum nimirum eſt, Malpighium eandem obſervationem effeciſſe, quaſi quòd ideo falſa Sbaraleæ obſervatio ſit dicenda, quia quoque facta fuerit a Malpighio. Secundum verò, ex eadem obſervatione non benè inferri, quòd, cùm nullæ ſenſibiles fibræ ſint, nullæ quoque inſenſibiles eſſe poſſint, quod certè a nemine negatum iri arbitror, qui ſciat quanta ſit, quàm immenſa rei poſſibilis latitudo. Vereor, ne hominem dedeceat, Scholę Malpighianæ anatomica inventa velle cogitatione dumtaxat ſtabilire. Illud ſimiliter de *obſervatiunculis* ſic dictis addendum eſt, quæ ut *nihil impediant*,

Sbaral. Vigil. pag. 55.

diant, *nihil obſtent*, quod ait Horatius, ſatis non eſt, medullares fibras *jam ante curvatas*, *ad lateraliter proximas corticales glandulas poſſe deflectere*, ſed ultrò requiritur, quòd ſic de facto deflexerint: Quod ſanè naturæ artificium, ut ut a Bellino clariſſimo in excretoriis renum ductibus obſervatum, a nullo, quòd certè ſciam, in medullaribus cerebri fibris unquam detectum eſt, nec ulla ratione probatum. Probatum quidem eſt ex obſervatione repetitis vicibus, & longa indagine facta per Sbaraleam, ad exteriorem corticis ſuperſiciem medullares aliquot fibras terminare, nec quicquam ullo pacto ex cortice poſſe recipere: quod ità probatum eſt, exploratumque, ut ſatis de ipſius veritate dubitari non poſſit per hoc, quod *in multis*, *quæ ſecuit*, *& quaquaverſum reſecuit*, *cerebris tale quid ſe obſervaſſe nunquam meminerit Horatius*, aliàs, ſi quæ tantùm ipſi conſtiterint, admittenda forent, nulla certè glandularum corticalium cum medullæ fibris communicatio admitteretur.

Horat. pag. 169.

Id. pag. 168.

XXXIII. Opponit iterum Horatius, ab Auctore Vigiliarum malè probari diverſitatem inter ſubſtantiam cerebri corticalem, & corticalem ſubſtantiam cerebelli, per hoc quod ſecto cerebello Animal illico deficiat, occumbatque, ſecus læſo cerebro; quoties *illud experimentum poſſit*, *ac ſoleat explicari*, *quòd glandulæ corticales cerebelli*, *ſecus quàm cerebri peculiariter cordi*, *aliiſque ad vitam omninò neceſſariis viſceribus fortaſſe proſpiciant*, ac propterea illud idem contingere non propter diverſam corticis ſubſtantiam, ſed *propter ſolam diverſitatem connexionis*, *ſive officii glandularum cerebri*, *& cerebelli*; cui porrò non antea velim, Antoninum aſſentiri, quàm priùs noverit, prædictam experimenti explicationem nullam eſſe apud illos, qui non modò negant glandularum communio-

Id. pag. 169.

nem cum medullaribus fibris, ſed glandulas ipſas, quæ duo probanda, non ſupponenda fuerant ex Horatio, ut propoſitionis Sbaraleæ falſitas probaretur; qui quidem in ea eſt ſententia, quod e glandulis præſuppoſitis nulli ſpiritus proliciantur, nullaque illorum e cortice in ſubjecta viſcera propagatio habeatur. Atqui video jam, Horatium hìc in verbo VVilliſii peccaſſe, qui putat, nervos e cerebello prodeuntes motibus naturalibus inſervire, voluntariis verò e cerebro provenientes; in qua tamen hypotheſi, ut non ità conſtans eſt, quod notat Rydlejus, quin tertium nervorum par cerebelli originarium, oculorum motorium dixerit, eorumque motibus voluntariis deſtinatum; ità nihil quidquam Horatio ſuffragari poſſe videtur.

XXXIV. Verum e glandulis corticis cerebri, & cerebelli, ad glandulas hepatis deſcendamus, & num hoc uno in loco Sbaralea multipliciter peccaverit, ac inter illos, quod jactanter dicitur, reponendus ſit, *in* Horat. pag. 171. *quorum ſcriptis plures ſunt errores, quàm loci*, attentè videamus. Nullam eſſe probatam glandularum exiſtentiam in hepate, Vigiliarum Auctor ſuſtinet *ex aucta magnitudine, & ſoliditate concreto gypſeo ſucco*, ut ex Regemertero apud Gliſſonium notat Malpighius, quandoquidem ſimiles concretiones eo loci ſæpiſſimè repertæ ſint, ubi nulla glandularum veſtigia fuerint, ut in pulmonibus, & anteriore cordis parte ex VVarthono, atque in interſtitiis ipſis lobulorum hepatis ex Malpighio, quæ nulla ſtructura glandulari conſtant. Sed quibus, quotue erroribus Sbaraleæ diſcurſus im- Id. pag. plicetur, hiſce paucis Horatii verbis intelligatur. *In* 170. 171. *hoc uno loco; ſi producam verba Præceptoris tui* [cum Antonino ſuo loquitur] *quæ in eodem impugnantur; in hoc, inquam, unico loco oſtendam tibi quatuor ad minus, aut quinque errores*. Primus eſt, Viri mentem non benè

nè

nè referri, qui obſervationem Regemerteri, ut *rarum* quid nunquam propoſuerit, quemadmodum Sbaralea innuit; & tamen ità rarum, eſſe oportuit per Malpighium, ut in iis locis, in quibus nullæ ſunt glandulæ, nunquam potuerit, aut debuerit obſervari. Huic alter conſimilis error dicitur, qui ad rem non benè relatam refertur, nam ſubſtantia hepatis glanduloſa non arguitur, ut ait Horatius, ex obſervatione Regemerteri, ſed *ex modo loquendi obſervatoris, & ex ſimilitudine affectionis in aliis glandulis ejuſdem ægri*, quæ certè per me nihil inter ſe diſtant, ut ſatis intelligatur, Viri mentem, remque ipſam non eſſe benè relatam, cùm neque ex modo loquendi obſervatoris, qui glandulas ipſas adventitias, & ex morbo productas aſſerit, neque ex ſimilitudine glandularum colli ejuſdem ægri, quæ non minorem patiuntur difficultatem, glandularum hepatis ſubſtantiam potuerit comprobare. Quod autem tertio loco objicitur ex Horatio eſt, *quod ſi ex præfata Regemerteri obſervatione glanduloſam hepatis ſubſtantiam Viro arguere placuiſſet, nihil obſtaret objectio ex obſervatione VVarthoni deducta*, nimirum tubercula in pulmonibus, & anteriore cordis parte inſtar cotyledonum reperta; niſi priùs probaretur, *anteriorem cordis partem, ſive etiam ejus membranam nullis glandulis donari; nam hoc multi concedere non poſſunt; potiſſimum verò demonſtrandum eſſet, in pulmonibus nullas glandulas adeſſe; etenim, ne eorundem veſiculas in glandularum cenſum traham, aut de aliis eorundem glandulis verba modò faciam; nonne Verheyen in pulmonibus certas quaſdam glandulas ad ſingulas bronchiorum diviſiones a ſe inventas eſſe teſtatur?* Quæ porrò Horatii verba hallucinationis plena ſunt, nam etſi quidem aliqui Anatomici fuerint, ut Lovverius eſt, atque Blancardus, qui in cordis baſi glandulas aliquas notaverint, aut ſe

[Margin: Id. 172.]

[Margin: Id. pag. eadem.]

no-

notaſſe crediderint, e quibus pericardii ſerum proliceretur, nullæ tamen ſunt, aut nondum, quod ſciam, ſatis probatæ in anteriore ejus parte, & in mucrone ipſo, quo loci mihi non ſemel datum eſt tubercula, hydatides, & id genus alia morboſa corpora obſervare. Præterquamquod Malpighius ipſe, de cujus auctoritate, & fide per Horatium nihil eſt ambigendum, præſuppoſitas in baſi cordis glandulas implicitè ſaltem negaſſe videtur, ubi de conglobatis glandulis liquaminis pericardii fontes inquirens adverſùs præcitatos Auctores ſuſtinet, nuſquam alibi, quàm in folliculis, loculiſve per totum pericardium diſperſis reperiri; quod ſatis eſt, ut quiſque intelligat, quàm injuſtè onus, quod ſuum eſt, velit alterius humeris Horatius imponere, utputa probandi, non ſupponendi, nullam in anteriori cordis parte eſſe glandularum exiſtentiam, quæ priùs ab ipſo probanda fuerat, non ſupponenda; nam, ſi quidem aliqui ſint, qui tales glandulas admittant, nihil eſt ad delendam argumenti Sbaraleæ vim, quoties a Malpighio non admittantur. Minuſq; etiam fuerat demonſtrandum per Sbaraleam, in pulmonibus nullas glandulas adeſſe, ſed in iis tantùm pulmonum locis tubercula eſſe obſervata, in quibus nullæ quidem hactenus glandulæ detectæ ſunt, quod ex obſervatione VVarthoni deducitur, quæ talis eſt. *Aperto thorace &c. -- adeò tubercula hæc pulmones undique obſidebant (nam centum ad minimum numero erant) ut primo obtutu ex illis ſolis eos conſtare putares.* Obſidentne glandulæ a Verheyenio detectæ undique pulmones, ut facilè credi poſſit, quòd tubercula prædicta in iis tantùm fuerint congeſta, aut quod ex iis tantùm glandulis conſtare videantur? Ità quidem obſident, ut majoribus ſolùm aſperæ arteriæ, & bronchiorum diviſionibus adiaceant. *Prope enim ambitum pulmonum*, ſunt

VVarth. Biblioth. pag. 206.

Verhey. pag. 197.

Ver-

Verheyenii verba, *circà exiguos bronchiorum ramuſcu-* Horat.
los eas fruſtrà quæſivi. Quare, ut falſum eſt, quòd *cer-* pag. 172.
tas quaſdam glandulas ad ſingulas bronchiorum diviſiones a ſe inventas eſſe teſtetur Verheyenius, ut qua ſolet arte malè refert Horatius, quod quintum erroris genus eſt, ità nihil a Sbaralea probandum, nullas in pulmonibus adeſſe glandulas, quum ſatis ſit, quòd in ea pulmonum parte nullæ ſint, aut fuerint, in qua tubercula detecta ſunt. Neque poſtremò hìc loci Sbaraleæ contemnendus ſermonis eſt ſenſus, etſi dixerit, quòd *a ſimplici obſervatione allata non debet argui ſubſtantia hepatica glanduloſa*, quum id ſanè dixerit, non quia ignoraverit, ut ſupponitur, Malpighium hac de re tantùm glanduloſam hepatis naturam non probaſſe, ſed quia cæteris jam probationibus devictis hæc una ſupererat devincenda, & qua ultimò devicta, nulla prorſùs alia ſupereſſet impugnanda. Quod ſi quidem paſſim Horatius animadvertat, aut ſe animadvertere, dicat, *ità res tractari, quaſi Antonini Præceptor, qui ſa-* Horat.
nè a multis ſimul junctis rationibus ſuas conjecturas de- pag. 173.
ducere ſolebat, ab una tantùm ratione deduxiſſet. Nunquam certè animadvertere potuerit, quòd, quæ ſimul juncta impugnari, velit, per partes ſatis non impugnentur, præſertim cùm partes ipſæ ſingulæ, vel diverſæ rationis ſint, vel illarum inter ſe nulla ſit probationis dependentia. Si quis autem arguerit glandularum hepatis exiſtentiam, ut ſubjectæ rei inſiſtamus, *ab anatome comparata, a microſcopica obſervatione, a morboſis conſtitutionibus &c.* Nonne confiteri debuerit, nullam eſſe probatam illarum exiſtentiam, ſtatim ac, quòd ipſi conſtiterit, prædictas ſingulas probationes ità infidas eſſe, ut ex ipſis nihil quicquam probetur? Aut enim probationes illæ inſimul unitæ conſtituunt unam integram probationem tantùm, vel plures probationes; ſi

pri-

primum, tantùm abeſt, ut non impugnetur rectè per partes, quin potiùs altera ex partibus confutata, integræ probationis argumentum nullum ſit. Si ſecundum, jam componendæ ſunt ad normam probationum ſolutiones, igitur modus, quo Sbaralea ad impugnandam glandularum hepatis exiſtentiam uſus eſt, non ita infidus dici debet, quemadmodum confidenter putat Horatius.

XXXV. Alterum Horatii objectum eſt. *Sed non magis valet, Antonine, non magis urget aliud quod-*
Horat. pag. 174. *dam illationum genus, quod etſi ab Anatomicis, aliiſque hiſtoricis paſſim ſolet contemni, & parvi fieri, ab noſtro tamen in rebus anatomicis aliquando adhibetur, cùm videlicèt quædam, quæ alii affirmant ſe vidiße, ideo non dari argumentatur, quòd ipſe videre non potuerit.* Et ſanè, vehementerque miror, Horatium eam arguendi formam tam facilè negaſſe, qua vel ipſe ſæpiſſimè uſus eſt, & nominatim pag. 168., ubi ad impugnandas Sbaraleæ obſervationes hoc alterum adducit fundamentum, *ego namque in multis, quæ ſecui, & quaquaverſum reſecui cerebris tale quid obſervaſſe, nunquam memini*: & fortè neque meminit hoc dixiſſe, aliàs aliter Sbaraleam condemnaſſet.

XXXVI. Nunc convertamus animum ad ea, quę ſunt *Ex obſervatione facta in lingua vitulina cocta de-*
Sb.Vigil. pag. 81. *prehenditur aliud corpus diſtinctum a muſculari ſubſtantia linguę, e quo prodeunt corpuſcula papillaria ſine connexione, aut continuatione cum nervis*; hinc diverſa ab expoſita a Malpighio papillarum natura arguitur, & conſequenter uſus ambiguus. Quid autem ad hoc regerat Horatius ex his ipſius verbis colligitur. *Quia*
Horat. pag. 175. *ergo aliquis aut neſciens, aut nolens eadem uti ſedulitate, illam continuationem non attingit, ideo illa continuatio non dabitur? Ideo papillarum diverſa erit natura, &*

uſus

uſus ambiguus? Sed dic amabò, mi Floriane, quodnam tibi fundamentum eſt aſſerendi, doctum Virum aut neſciviſse, aut noluiſſe illam continuationem attingere? Etſi quidem aliquod eſſe poſſit, quale namque fuerit, quod de te, tuiſque verificari non poſſit, ut ad te vel ipſe non repetam, quia *ergo aliquis, aut neſciens, aut nolens eadem uti ſedulitate* illam disjunctionem non attingit; ideo illa disjunctio non dabitur? ideo papillarum diverſa non erit natura, & uſus ambiguus? Ea porrò ſunt, ut quàm ſemper omnia in ipſum Horatii argumenta facilè retorqueantur.

XXXVII. Poſt hæc alia multa Sbaraleæ argumenta indicantur, alia verò, ut de more leviter impugnantur, quorum tamen ultima ipſe tantùm aſſumam conſideranda, ut quæ vis eorum eſt in præſenti controverſia innoteſcat omnibus, qui nihil animi præoccupationibus diſtrahuntur. Papillarum linguæ uſum guſtandi per meatus ad eas patentes ex ſubintranti corpore ſapido, ut innuit Malpighius, multis de cauſſis Auctor noſter evertit. Prima eſt, quod *ſinus & meatus ſemper replentur ſaliva, & muco, hinc impeditur tranſitus ad ſuppoſitum organum guſtus*. Secunda. *Quando etiam non impediretur tranſitus, deberent infarciri ab aliquo corpore ſapido, undè poſt unum ſaporem, immediatè non diſtingueretur alter*. Poſtrema. *Poſſemus dubitare, quòd, quando ſinus eſſet repletus a corpore ſapido, tandiù guſtus deberet continuare, quandiù permaneret in meatu corpus ſapidum*. Quibus difficultatibus diluendis, ſi quæ dicta ab Horatio ſufficiant, nunc paucis expendam. Ad primam regerit, multa quidem ſupponendo, quæ priùs ſolidè probanda fuerant, nimirum ſalivam, & mucaginem meatibus præſuppoſitis interceptam, *potiùs ad diſſolutionem ſapidi, atque adeò ad faciliorem ejus inſinuationem conducere*, ut ſi quidem per ſe conſtaret &

Sbaral. Vig. pag. 73.

Horat. pag. 178.

ſalivalem humorem, & mucum, quo lingua abundè ſcatet, eſſe menſtruum ad diſſoluenda omnia ſapida, cùm idoneum, tum a natura huic muneri deſtinatum; & meatus ipſos ſufficientem habere locum, quo fermentativus ſapidorum motus cum ſaliva imperturbatè fieret; & demum eam eſſe ſalivæ fluxilitatem, ut pro vehiculo ſapidorum, quorum aliqua dilutiora ſunt, citrà ullam dubitationem eſſet recipienda, quæ tria proculdubio non ità ſunt perſpecta, ut nulla probatione indigeant; atque ex ipſis tantùm præſuppoſitis Sbaraleæ argumenta ſint confutanda, quod fidenter ſentit Horatius. Ad ſecundam, & tertiam nihil attinet dicere, *ſapidum ità diſſolutum facilè cum diſſoluente humore per linguæ contractiones, & motus, aut ſimilem aliam cauſam a meatibus exprimi poſſe, & ſic novi ſapidi particulis locum cedere*, quandoquidem intellectu valdè difficile ſit per linguæ motum exprimi a meatibus ſapida, quæ potiùs per linguæ motum ad vividiorem ſenſum magis imprimuntur; atque eam quoque vim, qua ſapida exprimuntur *novi ſapidi particulis locum cedere*, præſertim cùm linguæ contractiones, coarctando loculos, & meatus, indifferenter ingreſſas exprimant particulas, atque ingreſſuris officiant; quod vel ipſi Horatio ità viſum eſt, ut perſpecta ſui argumenti levitate hęc alia proferat, *aut ſi hoc non ſit, facilè ſemper fieri poſſit*, nimirum expreſſio a meatibus ſapidorum per linguæ motus, *quis ignorat, neque ſemper poſt unum ſaporem immediatè alium poſſe diſtingui?* Certè nemo, ut arbitror, id ignorat, ut nemo ignorat, illud idem de omnibus ſapidis non verificari, quod foret neceſſarium, ſed de iis tantùm, quæ vividiùs ſenſorium percellendo talem ipſi imprimunt determinationem, e qua facilè per leviorem novi ſapidi motum non recedat; uti ex adverſò, ſi priùs leviter tactum ſit, accedente fortiori ſapi-

Id. pag. eadem.

ſapido immediatè, nullaque interpoſita ſenſibili morula ad novam guſtus ſenſationem excitatur.

XXXVIII. Sed hæc ea ſunt, quæ tantùm ſe transſcribere aſſerit Horatius, nunc autem adeamus alia, quæ impugnare ſatagit. *Dubitari etiam poteſt de uſu papillaris conſtitutionis linguæ, ſi ejuſdem uniformis ſtructura in Bove, Capra, Ove, & ipſo etiam Homine conſiderentur; etenim in configuratione, differentiis, & natura conveniunt prædictæ papillæ in animalibus adductis, ut habet Antagoniſta, quamvis in guſtu maximè differant &c.* Quam porrò rationem evertere ſe poſſe credidit Horatius his verbis. *Mihi verò iſtud argumentum valere videretur, ſi a ſuppoſita papillarum in homine, & dictis brutis convenientia argueretur, quòd, ſi papillæ ſunt ad guſtum inſtitutæ, & homo, & dicta bruta debent guſtare; non verò æqualiter guſtare.* Cujus quidem argumenti vis, ut mihi ſatis non conſtat, neque cęteris, ut vereor conſtabit; nam quemadmodum ex generica convenientia licet argumentari, quòd, ſi papillæ ſunt ad guſtum inſtitutæ, & Homo, & dicta Bruta debeant guſtare; ità ex uniformi convenientia in *configuratione, differentiis, & natura* licebit argumentari, quod & Homo, & Bruta æqualiter debeant guſtare: Nec ſatis quidem eſt, præſuppoſuiſſe inſenſibilem papillarum differentiam, quoties rigoroſa uniformitas ſenſibiliter obſervetur, quæ talis in membrana linguæ non deprehenditur, ità quòd ſatiùs pro guſtus organo poſſit determinari, atque ab hac ipſa ſenſationum diverſitas, quæ inter Bruta, & Homines intercedit, convenientiùs explicari. Quod ſi quidem etiam aliquando contigerit, ut quæ uni Homini grata ſint, alteri ingrata videantur, vel quæ uni, cum Puer eſſet, jucunda, triſtia verò, cum Senex ſit, parùm refert, modò priùs non probetur in hiſce caſibus, eandem fuiſſe omnium aſſigna-

Sbaral. Vigil. pag. 78.

Horat. pag. 178.

gnabilium pro ſenſorio convenientiam in *configurdtione*, *differentiis & natura*, qualem eſſe inter Bruta, & Homines jam adducta, aut mavis inter papillas Hominis, & papillas Bovis, Capræ, & Ovis, quod foret oſtendendum, ne temerè ex inſenſibilibus differentiis diverſi ſenſus ratio deſumeretur. Multò minùs ex ipſis quoque differentiis inſenſibilibus eruenda videtur ratio, quare papillæ, quę in lingua ſunt, pro guſtu, & tactu fabrefactę ſint, quæ in ambitu corporis pro tactu tantùm, quum utrobique ſtructuram eandem ſenſibilem præſeferant, atque adeò uniformem, ut in omnibus idem tactus habeatur. Haud enim eſt credibile, quòd duæ ſtructuræ ſint in papillis linguæ, quarum altera ſenſibilis ſit pro tactu, altera verò inſenſibilis pro guſtu, & quòd illæ eædem adeò diſtinctæ ſint, ut nullam inter ſe dependentiam obtineant, atque communionem, ità quòd verificari poſſit, ut quæ guſtui data demi poſſit, altera, quæ tactui, incolumi remanente. Nihil herclè ineptiùs eſt, quàm ea quidem effingere, quę nulla ratione conſtant, quod facit Horatius, qui ut ſibi, ſuæque opinioni conſulat, nimirum, ut qua ratione papillæ in lingua ſint organum ſimul tactus, & guſtus, in ambitu verò corporis tactus tantùm aſſignet, ad inſenſibilem earum, quæ in lingua ſunt differentiam recurrit; & ea, quæ nulla ratione probata ſunt, tanquam certiſſima ſuo more venditat univerſa. Nolim tamen hic me putes, Floriane, eſſe, qui velit ea tantùm in rerum natura admittere, quę ſenſibus percipiuntur: ſcio enim, & multa eſſe, quæ ſenſus aciem effugiunt, & multa ſenſu videri falſa, quæ probata ratione conſtant; ſed inter hæc tua eſſe, quæ *de ultimis inſenſibilibus papillarum ſtructuris* affers commenta, valde dubito, qui ſciam te ea quidem nulla ratione probaviſſe, eaque tantùm ad libidinem, qua polles, objurgan-

gandi Virum, ejuſque argumenta convellendi, effinxiſſe. Et quoniam de papillis inſtitutus eſt ſermo, præſtat hìc, adducta Malpighii circà illarum uſum opinione, nonnihil ſuper his, quæ ab Horatio adverſùs Sbaraleam proponuntur, immorari. Poſteaquam obſervatum fuit, triplicis generis, aut configurationis papillas in lingua haberi, non defuerunt Anatomici, qui putarunt, triplici diſtincto muneri eſſe deſtinatas, alias nimirum, ut cum Domino Tauvry loqui videar tactui, alias guſtui, dolorique poſtremas; quæ ſanè opinio, utcunque probabilis aliquibus videretur, non ea certè eſt, quæ ab omnibus admittatur, ab iiſque præſertim, qui cum Malpighio ſuſtinent, iis ſingulis papillarum differentiis paſſionem guſtus poſſe convenire. Sbaralea verò, qui adverſariorum armis plerumque pugnat, cùm animadverterit, ex uniformi papillarum ſtructura in Homine, & Brutis æqualem ſenſum non eſſe admittendum juxta Malpighium, quia inſenſibilis aliqua illarum differentia eſſe poſſit, ità longè majori ratione ſibi viſus eſt, poſſe arguere, quod poſita ſenſibili papillarum in Homine differentia, diverſa quoque iis eſſe munera adſcribenda: Quod unum præterea comprobat Cardani obſervatione facta in Auguſto Corbeta, qui ex pipere dolorem, neutiquam verò ſaporis ſenſum perſentiebat, quod fortè ſatis non poſſet intelligi, niſi aliæ papillæ in lingua admitterentur pro guſtu, aliæ pro tactu. Nec certè obſtat, quòd, laceratis ex pipere iis papillis, potuerint conſentire pro tactu, non autem pro guſtu, ut ex Malpighio notat Horatius, nam ſi una, & eadem particula ſit utrique ſenſui deſtinata, ut ſupponitur, certè nihil conſtat, qua ratione potuerit affici, quemadmodum in Auguſto Corbeta, ut, ſervata ad aliqualem tactum proportione, omnimodam guſtui convenientiam amitteret; hinc Sbara-

lea,

Sbaral. pag. 83. lea. *Si radix nervoſi corporis conſentiebat pro tactu morboſo, cur non conſentiebat pro guſtu morboſo?* Neque mihi dicat Horatius velim, tactus, & guſtus organum, quod unum, & idem per Malpighium eſt, *ex pluri-* Horat. pag. 181. *bus, & diverſis, & a variis cerebri locis provenientibus fibris componi*, ità quòd una, & eadem papilla aliis conſtet fibris, quæ tactui, aliis quæ guſtui præcisè famulentur, quod certè nunquam ſomniaſſe Malpighium crederem, qui ſciret, quàm facilè, & quàm frequenter ex implicatione præſuppoſita alterutra ex ſenſationibus poſſet interturbari; quique ſciret, ab re prorſus naturam eam implicationem effeciſſe, quandocunque poſita diverſarum fibrarum neceſſitate, eas ſaniori conſilio, & commodiori uſu, diſtinctis inter ſe locis potuerit collocare. Dixi, poſita diverſarum fibrarum neceſſitate, quæ certè nulla apud Malpighium eſt, qui per indiſtinctam nervi propaginem utriuſque ſenſus, tactus nimirum, & guſtus ſenſorium conſtituit, attenta dumtaxat objectorum diverſitate, quibus evenit, ut pro diverſa motione in eodem organo, modò tactus, modò guſtus excitetur, quemadmodum pro diverſa motione, modò unius generis tactus, modò alterius generis promovetur, attenta differentia, quæ in eadem linea motionis eſt. Hoc idem etiam intellexiſſe viſus eſt Horatius, qui tametſi, ut ſupra memini, diſtinctis nervorum propaginibus e diverſis cerebri locis provenientibus papillas componi poſſe crediderit, conſtans tamen in ea minimè eſſe potuit ſententia, qui conceſſa tandem uniformitate organi, adductam Sbaraleæ difficultatem amoliri ſtuduit, aſſerendo motionem tactus, & motionem guſtus non ità invicem convenire, ut qui nervus idem moveri poteſt pro tactu, ſemper moveri poſſe debeat pro guſtu; quod ſanè proportionum legibus aſſuetus Geometra neutiquam concedet, cùm trium quantitatum pro-

por-

portionalium altera, quæ duabus reſpondet proportione alterari, aut minui non poſſit, quin æqualiter ad utramque correſpondentem amittat proportionem; quod ſatis eſt, ut intelligatur, papillam eandem, quæ ex pipere divulſa, lacearataque conſentire potuit prò tactu morboſo, debuiſſe etiam prò guſtu morboſo conſentire, quod voluit Sbaralea, adduxitque.

XXXIX. Sed audiamus alterum, quem è multis ſcelectum, jactat Horatius Sbaraleæ errorem. Ille quidem eſt, per quem aſſeritur, Virum hunc ſtatum quæſtionis mutaſſe, cum dixerit, *cognitionem uſus non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſanitatem inducendam*, quaſi quidem ſatis non ſint, quæ ex Bohonio, & Malpighio ipſo ſuper hoc argumento adducta ſunt, & majora, quæ ex Horatio videri queant, quæ nihil præterea poſſunt, quàm ut de nomine quæſtionem inſtituant, de qua non eſt, cur ego ulteriùs diſſeram, ſi quæ dicta ab Auctore Vigiliarum ad delendam terminorum æquivocationem ſufficiant prò tot, fictiſque errorum generibus expungendis.

XXXX. Similiter ludit tantùm verbis Horatius, ubi Sbaraleam culpat, quòd nullam cognitionem medicam poſse ex ſalium figuris obtineri, aſserat; nam aut a Medicis conſideratur figura totius aggregati ſalini, & hęc utpote quæ inconſtans eſt, ut ex experimentis Bonnani, Boylei, Olai Magni, aliorumque, nullam certam normam prò medicis ſpeculationibus tradere poteſt; aut conſideratur figura minima molecularum, ex quibus ſal componitur, quæ cum ſenſus aciem effugiant, de iis nihil quicquam tutò pronuntiari poteſt, quod profectò ſatis videtur, ut meritò Auctor noſter concludat ex nulla ſalium figura ne ipſam quidem Theoricam Medicorum cognitionem augeri poſse. Vis enim argumenti non reſpicit particulam in-

indiviſibilem, ſed minimam, ſi qua talis tantùm inſenſibilis eſt, & nulli ſenſus cryterio ſubjecta; & ideo Sbaralea in medium attulit indiviſibilem moleculam, ut ea quidem minima intelligeretur, nullique obnoxia mutationi, quæ porrò talis ea eſse debet, quæ ab aliquibus primigenia vocitatur.

XXXXI. Ad id autem, quod ex *mantiſſa de microſcopii uſu* per Horatium adducitur, impugnaturque nihil eſt, quod velim prò tuenda Viri clariſſimi opinione multa adducere, atque probare. Lis enim eſt de ſecreto naturæ fine in conſtruendis oculis ea ratione, ut non omnia percipiant objecta. Arcana quidem ut multa naturæ proſtant, ita quæ cauſam attinent finalem omnium obſcuriſſima viſa ſunt, adeout adducta ratione una, alteri locus ſemper remaneat adducendæ. Cæterum ne ſicco, ut dicitur, prorſus pede rem integram præteriiſſe videar, Problematis de quo agitur ſolutionem utramque proferam, ut de te, Simoni, judices, quam meliorem eſſe, aptioremque putaveris.
Sbaral. Vigil. pag. 641. Problema eſt. *Cur natura inſtituerit perſpicillum naturale cum indigentia artificialis pro rebus minimis explorandis*, reſpondet Sbaralea; *quia melius eſt, quod oculus nudus non videat id, quod microſcopium oſtendit, quàm quod idem videndo videat, id, quod non eſt, vel confusè videat, vel æquivocè*. Quam porrò ſolutionem tanquam futilem, & longè petitam damnat Horatius potiorem redditurus, quæ talis eſt. *Naturam in*
Horat. pag. 185. *animalibus conſtruendis ea potiſſimum inſtrumenta ſolere in eiſdem fabrefacere, quæ frequentiſſimis, atque aſſiduis eorum indigentiis conveniant -- Nunc verò cum ita comparatum ſit, ut plerumque magna uno intuitu objecta, & nobis non ita propinqua oculis percipere dabeamus, non ut evitaret iſtas, quas noſter perperam timet fallacias; ſed ne inſtrumento rei omninò impari nos inſtrueret, idcircò*

ex-

exquiſitiſſimi microſcopii ſtructuram in oculis fabricandis non obſervavit. Quod utique rectum, optimumque videretur ratiocinium, quoties ſatis probatum eſſet aſſiduis animalium indigentiis unam potiùs, quàm alteram oculi fabricam convenire, & objecta potiùs diſſita, quàm minima eſſe ab animalibus percipienda. Vereor ne certa Horatius paralogyſmi ſpecie fallatur, qui putat ideo fabrefactum taliter eſſe oculum, ut videat quæ remota non nihil ſunt, non quæ minima, quum potiùs dicendum ſit è converſo, ideo oculum videre non nihil diſſita, & non minima, quia taliter fabrefactus eſt; ſecùs rectè dici poſſet, ideo taliter fabrefactum eſſe myopis oculum, ut videat objecta potiùs minima, quàm diſſita, quod eſt rei cauſam confundere, & diverſam hominum videndi indigentiam admittere. Longè itaque alia eſt oculorum artificii ratio, quàm quæ adducitur, & potiùs cum Sbaralea putandum eſt, quod animalium naturæ conveniat, atque exigentię videre objecta in eo ſtatu in quo ſunt naturaliter conſtituta, quàm eorum pauca tantùm attingere, & diverſa, ac in ſe ſint, quod foret, ſi quæ minima per auctam ſpeciem viderentur: hinc meritò Philoſophi fretus auctoritate aſſerentis, naturam de poſſibilibus facere quod melius eſt, hanc Sbaralea ſubdit interrogationem. *Si melius erat fabricare oculum ſine indigentia microſcopii, quare natura non formavit oculum ſine prædicta neceſſitate?* Cui ſe ſatis interrogationi feciſſe credit Horatius hanc alteram reponendo. *Si melius erat ita fabricare humanum oculum, ut oculo Aquilæ, aut lyncis perſpicacitate non concederet, ut uno verbo nunquam Galilei tubo indigeret, quare natura non formavit humanum oculum abſque hac indigentia, & neceſſitate?* quaſi verò una, & eadem eſſet neceſſitas videndi remotiſſima, quæ nihil fere humano uſui præſtant, ac videndi minima,

Sbaral. Vigil. pag. 641.

Horat. pag. 185.

& propinqua, quorum nobis commercium eſt ad vitæ commodum comparandum. Prius enim probandum fuerat ex Horatio propter eam præcisè rationem, propter quam non fuit melius formare oculum ſine indigentia microſcopii, non fuiſſe melius oculum humanum ita fabricare, ut oculo Aquilæ, aut Lyncis perſpicacitate non concederet, aut Galilei tubo non indigeret; ac propterea talem fuiſſe rationem diverſam ab ea, quam adduxerat Sbaralea non ſpernendam, cum ea, quæ de indigentiis aſſiduis eſt propoſita, levis admodum reputetur, ubi animalium indigentiæ eſſe poſſint cum minima, tum remota videre objecta, quę alicui eis uſui eſſe queant. Quod niſi natura ſic effecerit oculum, ut omnia quæ videnda forent, percipere poſſet, ideo non effeciſſe dicendum non eſt, quod nequiverit: nihil enim vetat, quo minùs natura ſolers, doctaque potuerit artificium oculi, aut plures oculos, quibus propinqua, & remotiſſima, magna, & minima cerni poſſent, inſtituere, ſed ea ratione tantùm contigiſſe, ut quæ ex minimis diſſitiſque inſpectis menda prodirent, evitare potiùs (hæc enim ſumma indigentia eſt) quàm quod aliis indigentiis, ut aſſeritur, proſpicere animalia poſſent omnia.

XLII. Eò devenimus jam, ut Horatii puſtrema Epiſtolæ pars adeunda ſit, eaque nimirum, quæ coronidis loco dicitur poſita, quæque non admodum diverſa ab dictis continet argumenta. Primum autem eſt, Sbaraleam erraſſe, quòd dixerit *experientia conſtare, medullam non communicare cum oſſe, & probabiliter in venas remeare*, & eò magis erraſse, quod Haverſius, & Vernæus oppoſitum obſervaverint, ut ſi quidem Anatomicis non liceret aliena facta, dictaque impugnare. Minimè putandum arbitror, Sbaraleam latuiſse nedum Haverſii, & Vernæi obſervationes, ſed aliorum quo-

Sbaral. Vigil. pag. 387.

quoque, quæ cùm ita ſint, ut minùs tutò conveniant ad probandum eundem medullæ uſum, & propagationem, mirum haud videri debet, quod propria voluerit experientia rem dilutiùs examinare, tutioremque de hac re ſententiam conſtituere. Vel enim hic erraſſe Sbaraleam, dictum eſt, quia Haverſio, & Vernæo contradixerit, vel quia falſa, & merè ſuppoſita evulgaverit. Non primum ne tollatur libertas, non modò de rebus obſcuris, & incertis ſentiendi, ſed vel ipſa laudabilis ad inquirendam veritatem Auctorum cura, qua nihil antiquius. Non secundùm, quod gratis aſſeritur, nulla ratione adducta, qua falſitas experientiæ, aut præſuppoſitionis evinci queat.

XLIII. Neque præterea conſtat qua ratione puniri Auctor idem poſſit, eò quia dixerit continuò ſerum in cerebro luxuriari in ſoporoſis, & convulſivis affectibus, modò ly *continuò* minùs rigorosè ſumatur, atque ab ipſo Sbaralea probabiliter factum eſt, quandoquidem ad probandum, quod hac ratione aſsumpſerat, ſatis profectò ſit, qnòd *continuò*, aut *plerumque* res ita ſe habere verificetur.

XLIV. Alter verò locus, quem quarta Vigiliarum pagina notari deprehendo tot, tantaſque, ut ex Horatio adducitur non involuit repugnantias. Siquidem in eo eſt Auctor noſter, ut probet naturam non eſse conformem in diſtributione vaſorum, fabrica, & viſcerum conſtitutione. Ac ut primum oſtendat nedum ex mente Antagoniſtæ progreſſum vaſorum renum adducit, ſed præparantia quoque vaſa, arteriam lienis ex Arantio, & venam ſine pari ex Fallopio, quorum ea eſt diſtributio, ut inter ſe, vel cum aliis nullam ſervent convenientiam, & ſimilitudinem: Quicquid ſit de anaſtomoſi in renibus a Malpighio non admiſsa, ut ſupponitur; admiſsa tamen eſt inter arterias,

& venas in pulmonibus Ranarum, ut ſupra num. IV. probatum eſt; quod ſatis videtur, ut vel ipſius Malpighii auctoritate inconſtans vaſorum ſanguiferorum diſtributio in animalibus comprobetur. Quod ſi quidem Horatius ipſe voluerit minorem adhibere fidem VVilliſio, qui tanquam quid ſingulare, & rarum appellaverit arteriarum unionem cum arteriis, quàm Verheyenio, qui frequentem, ac undique obviam hanc anaſtomoſim dixerit, parum refert, quum unicuique ſentiendi ſit pro voto ſuo libertas de obſcuris rebus, ac inter ſummos Auctores controverſis. Hoc autem mihi certum, ac integrum eſſe debet, quod niſi ex anaſtomoſibus inter arterias, & arterias, aut inter venas, & venas diſſimilitudo naturæ in diſtribuendis ſanguineis vaſis eruatur, utpotè quod ſimiles connexiones in ſingulis corporis partibus ex Verheyenio detectæ ſint; ex unione tamen arteriarum cum venis id ſatis probatum iri credam, quandoquidem hæc ea anaſtomoſis vaſorum ſpecies eſt, quę non ubique nec frequenter in toto corpore reperiatur, quòd ait VVilliſius, qui venas cum arteriis piæ matris invicem communicare tanquam rem mirandam ſe obſervaſſe tradidit adduxitque; de qua porrò obſervatione non eſt quod velit, aut poſſit Horatius dubitare per hoc quod multos jam ante annos ſcripta ſit, quandoquidem non ea, quæ magis nova, ſed quæ magis vera ſint admittenda. Fortè enim eorum oblitus eſt, quæ pagina 188. ſuæ Epiſtolæ dicta ſunt, & per me ſupra num. XXXXII. notata, quæ cum his haud quaquam conſentire videntur. Damnat eo loci Sbaraleam, eiuſque obſervationem circa medullæ uſum, & propagationem, quia ante ipſum aliter obſervaverint Havers, & Verny; nunc verò in dubium revocat VVilliſii inventum, quia poſt ipſum alii aliter ſcripſerint. Poterat ne homo ille magis pugnantia

ver-

verba, aut ratiocinia confundere? & tamen ipſe eſt, qui tanta ſecuritate de inconſtantia rationis putet alios poſſe criminari.

XLV. Expendere nunc fert animus, & ratio poſtulat, an in dextro cordis thalamo chyli cùm ſanguine mixtio compleatur, pro qua re ſanè Horatii judicium hoc eſto. *Si mixtio hæc in dextro cordis ventriculo compleretur, quomodo in hominum pancraticè alioquin valentium venæ ſectionibus poſt certum a paſtu intervallum inſtitutis obſervatum eſſet, & quidem non ita rarò album, immo purum putum chylum ſimul cum ſanguine egreſſum eſſe, quod & nos aliquando vidimus?* Hac enim certè obſervatione, ut arbitror nihil frequentius eſt, nihil verius, nihilque vel Lyppis, ut dicitur, atque Tonſoribus notius; hoc autem ex capite liberaliter quantum vis tecum agam, Horati, ſed num ex hac ipſa vulgatiſſima obſervatione, & nulli dubia ſatis probetur, chylum in dextro cordis conceptaculo integram cum ſanguine mixtionem non ſubiiſſe, ut aſſeritur, nedum ipſe dubito, ſed planè nego, qui certè ſciam aliud eſſe inquirere mixtionem chyli cum ſanguine, aliud chyli ſolutionem in ſanguine. Primum enim ita completur in dextro cordis ſinu, ut eundem ſemper mixtionis gradum conſervet, quouſque ſoluta partium ſuarum compage, novam ſubierit mutationem, novamque mixti ſpeciem induerit: quod ſi quidem aliquando datum ſit in venæ ſectionibus chylum cum ſanguine egredi, non indè infertur, non fuiſſe perfectè mixtum, & ea ratione, cujus eſt capax natura chyli, ſed potiùs non fuiſſe ſatis ſolutum, comminutumque, cum adhuc chyli formam præſeferre videretur. Deſinas itaque mirari præſtat, mi Floriane, quæſtionem hanc inſtituere Sbaraleam potuiſſe, nam ſi quid in ea mirandum ſit, illud tantùm videtur, quòd

Horat. pag. 191.

completam chyli cum ſanguine mixtionem credideris, per quam nullum chyli in ſanguine veſtigium deprehenderetur.

XLVI. Non alitèr, ut videor intelligere, hallucinatus eſt Horatius circa hæc alia Sbaraleæ verba. *In doloribus inteſtinorum quid refert ſcire an colon potius, quàm ileon, cęcum magis, quàm duodenum afficiantur &c.* Quæ porrò propoſitio ea eſt rigorosè ſumpta, & intrà limites controverſiæ, cujus cauſa adducta eſt, ut nihil prorſùs per adductam praxim enervetur. Haud enim hìc quæſtio fit de topicis, ut ajunt medicamentis, quorum ratio loci affecti eſt, cui immediatè applicanda ſunt, & non alteri; neminem, ut puto latet ad conſolidanda brachii vulnera unguenta, & cerata non eſſe pedibus admovenda, & ad detergenda inteſtini recti ulcuſcula duodenum non eſſe abluendum. Longè itaque eſt diverſa diſparitatis ratio, quippe conſtat Vigiliarum Auctorem illud tantùm innuiſſe, quod ad praxim rectè inſtituendam parum, vel nihil præſtet cum Galeno ſcire in Pleuritide curanda, an pleura, pulmones, aut mediaſtinum lædantur; in Phrenitide cum Hippocrate, an meninges, vel cerebrum; in reliquis capitis affectibus cum VVilliſio, an ſpiritus animales in cortice, medulla, ſive in toto corpore progignantur; & demum in doloribus inteſtinorum, an colon potiùs, quam ileon, cęcum magis, quàm duodenum afficiantur, attenta præſertim ratione medicamentorum cum internorum, tum externorum etiam, quæ non immediatè, ac intimæ parti effectæ uniantur, ſed quæ alicui communi ventri cum partibus ipſis per intermedias aliàs communicant, ut Caput eſt reſpectu meningum, & cerebri; Thorax reſpectu pleuræ, & pulmonum; tandemque Abdomen omnium reſpectu inteſtinorum. Sed demus jam liberaliter, ut mos eſt conten-

Sbaral. Vigil. pag. 367.

ten-

tendenti Horatio indefinitam eſſe Sbaraleæ propoſitionem, ita quod vel de ipſis topicis rigoroſè ſumptis, partique dolenti immediatè applicandis intelligenda ſit; eritne propterea extra dubium omne poſita ea praxis Adverſariorum, qua ex uno, vel altero inteſtino affecto præſcribenda potiùs per os, quàm per ſedem, aut è converſo remedia, ſuſtinent? Ut mihi quidem integrum eſt, ac ſępe perſpectum, vel iis, arbitror, univerſis, qui vel mediocriter medicinam faciunt, eam medendi methodum non ita univerſalem eſſe, quin ab ea recedere aliquando Medici coacti ſint, obſervantes pharmaca tum per ſedem, tum per os exhibita in inteſtinorum morbis indifferenter prodeſſe, atque ea non minùs, quæ per ſuperiora aſſumimus, inferioribus, quàm quæ per inferiora, ſuperioribus inteſtinis utilia eſſe, atque proficua, quod congruenter etiam ad rationem eſſe cuilibet conſideranti facilè patebit.

XLVII. Verum tamen, ne te longius, quàm deceat ſuper his, doctiſſime Simoni, immorari patiar, ad ultimum, quod objicitur argumentum paucis examinandum accedo. Illud autem eſt, undè Vigiliarum Auctor redarguitur, quod maluerit veras glandulas nec oſſeas fieri, nec cartilagineas, etſi plures extent obſervationes de teſticulis cartilagineis, de thyroidæis glandulis, ſive potiùs de thyroidæa glandula (etenim unam tantùm eſse hic opportunum fuit, & ad rem propoſitam per Horatium adnotaſſe, ne qui Virum de iis, quæ nihil ad rem faciunt inſimulare voluerit, in id ipſum erroris genus vel ipſe labi videretur) etſi plures, quam, extent obſervationes de mammis ipſis, quæ ſpeciatim adducuntur, ut ex D. Alardo Mauritio Eggerdes in ſepulchreto Anatomico Boneti, atque ex ipſo de Florianis, *cui ante plures annos videre contigit oſſeum quoddam conſiderabilis magnitudinis corpus in altero thyroidea* Horat. pag. 193.

deæ

deæ glandulæ lobo contentum ; quin immò, & in iſthmo utrumque ejuſdem glandulæ lobum conjungente rotundum quoddam, ſed complanatum oſſeum corpus. Quas quidem obſervationes adeò certas eſſe arbitror, ut prò iis impugnandis ne quid minimum auſim polliceri. Id unum tamen, ſi per me licèt, reponam, inventa nimirum hæc nihil quidquam officere, quo minùs Sbaraleæ aſſertio verificetur, quandocunque mihi concedatur, quod non dubito, teſtes, & thyroidæas glandulas nedum, ſed mammas ipſas, aliaque hujus cenſus organa ex diſſimilibus partibus complicari, quarum majorem complent membranaceæ numerum, quæ frequentiùs, atque faciliùs oſſeam indipiſcunt naturam, ut vel ipſe Vigiliarum Auctor faſſus eſt. Quod ſi quidem id verum ſit, ut veriſſimum arbitror, non ne etiam verum eſse potuerit, teſticulum ab Hartmanno obſervatum, cartilagineum fuiſſe ſecundùm partes tantùm membranaceas, & vaſculoſas, quæ majorem teſticuli quantitatem conſtituunt, non verò ſecundùm minimas glandulas, quæ ut vix ab aliquibus percipiuntur, ab multis quidem negantur. Id ipſum intelligamus de glandulis thyroideis, mammiſque; ubi præſertim primarum corpus oſseum non conſtitueret lobum, ſed in eo contineretur, quaſi unum quid ſuperadditum, & adventitium glandulis ipſis intertextum; ſecundarum verò, videlicet mammarum oſsea materia cum ambiente cute ita coagmentaretur, ut nulla vi ſeparari poſset, quod Eggerdes ſubdit, ſe notaſſe, & quod indicat (pace obſervatoris dictum velim,) minimas, ac internas glandulas (nullæ enim externæ ſunt) mente potiùs, quam oculis deprehendiſſe oſſeas. Sed quid hìc longiùs moror obſervationibus examinandis. Fortè ne Vigiliarum Auctor is eſt, qui abſolutè dixerit, glandulas *nunquam*, ut aſſeritur, oſſeas poſse fieri?

aut

aut potius Horatius eſt , qui Viri mentem non aſſequatur, quòd quartum erroris genus eſt, aut eandem parum fidè referat, quòd quintum ? Ipſe quidem adducor meritò, ac jure, ut credam potiùs ultimum, pro quo te, mi Simoni, tuumque Leonardum appello, tanquam Judices, quos non lateat, quid Vigiliarum Auctor de glandulis oſſificationi obnoxiis appoſitè propoſuerit. *Harvæus exercit. 3. de ſanguinis circulo arteriæ magnæ portiones oſſeas obſervavit, & quidquid arteriis contingit, glandulis, muſculis &c. evenire poteſt, mutando propriam naturam; & non deſunt obſervationes cogitatum confirmantes.* Quum itaque innotuerit Viro clariſſimo, non defuiſſe obſervationes (fortè quidem eæ ſunt, quas Horatius ipſe ex ſepulchr. anat., & Miſcell. curioſ. adducit) quibus probaretur glandulas oſſeas aliquando evaſiſſe, nulla prorſùs ratione dici poteſt, aut debet, id fieri poſſe, univerſaliter negaſſe, atque adeò abſolutè, ut *nunquam* de hac mutatione glandularum conſtiterit, aut conſtare potuerit. Minùs itaque rigorosè ſumenda eſt propoſitio, qua id aſſeruiſſe viſus eſt, quandoquidem nihil quicquam ex ea contenderet, quàm ut ab omnibus intelligeretur, glandulas non adeò frequenter oſſeas obſervari, quemadmodum de membranaceis partibus compertum eſt, ac propterea eas partes non eſſe glandulosas appellandas, quæ frequentiſſimè oſſificari, ut ſic loquar, viderentur. Sbaral. Vigil. pag. 241

Atque hæc, doctiſſime Simoni, ac omnium mihi amiciſſime, ea ſunt, quæ ſincero prorſùs calamo ſcribenda ad te fuerant, ſuper iis omnibus, quæ ab Horatio poſtremis duobus errorum generibus objiciuntur. Interim velim cures, ut dum ipſe Vigiliarum Auctorem vindico, me ipſum vindices, ſi quæ ſit apud Leonardum tuum neceſſitas, qui cum tua viderit elegan-

ter

ter ſcripta, doctèque omnia, facilè mea condemnabit univerſa. Ea quidem ſunt, ut nulla ratione laudari poſſint, excuſari tamen omni jure poſſint, ubi primùm honeſtum Virum admoneas, ea me juſsu tuo tantùm, & auctoritate ſcribere, non meo conſilio ſuſcepiſse. Tu demum fac, ut valeas, & me ama.

Patavio 3. nonas Februarii 1710.

Vidit Don Sebaſtianus Giribaldi Barnabita Cong. Cler. Reg. S. Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pęnitentiarius prò Eminentiſſimo, & Reverendiſſ. Domino D. Cardinali Jacobo Boncompagno Archiepiſcopo, & S. R. I. Principe.

Videat & referat pro S. Officio D. Joannes Baptiſta Gyraldus Philoſophię, & Medicinæ Doctor Collegiatus, Lector Publicus &c.

Fr. Jordanus Vignali Inquiſitor Generalis S. Officii Bononiæ.

Die 29. Auguſti 1718.

Vidi, & admiratus ſum in Epiſtolis duorum Scriptorum apprimè Illuſtrium, & Sapientum mihi proferendo Criterio demandatis Ingenium ſublime, raram Doctrinam cum incomparabili modeſtia conjunctam, quibus, veritate ancillante, luculentum pro Inclyti, & omni ævo Spectabilis Viri Jo. Hieronymi Sbaraleæ nùnquam interituris Operibus inconcuſſum Apologeticum inſtruunt, eaſque publicæ lucis uſura donandas cenſeo ad perennem tàm Eximii Philoſophi, ac Medici memoriam, quàm ad provehendum in Poſteros Jatricæ Facultatis Decus, & Famam, quatenùs ità viſum fuerit Paternitati Veſtræ Reverendiſſimę, cui me totum ſemper obſequentiſſimè ſubmitto.

Jo. Baptiſta Gyraldus pro Sanctiſſima Inquiſitione Reviſor, &c.

Attenta ſupradicta atteſtatione

IMPRIMATUR.

Fr. Jordanus Vignali Inquiſitor Generalis Bononiæ &c.

[illegible]

[illegible]

Dn 14. Augusti [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]